



1717.

1. Alberti, Michael: De vero sensu medico naturalis
in corpore Hippocratico
2. Alberti, Michael: De haemorrhoidibus feminarum.
3. Alberti, Michael: De haemorrhoidariorum regimine
et dieta.
4. Alberti, Michael: De haemorrhoidibus longae vitae
causa.
5. Boetmerus, Justus Henricus: De jure sacro et profano
circa infideles. 3 Saest. 1717, 1721. 1736
- 6^{a, b, c} Boetmerus, Justus Henricus: De jure denegandi com-
munionem coemeteriorum vulgo in Tostha Bau.
2 Saest. 1716. 1731
- 7^{a, b, c, d, e} Boetmerus, Justus Henricus: De verbis directis et
obligatis. 3 Saest. 1717, 1724. 1735
- 8^{a, b, c, d, e} Boetmerus, Justus Henricus: De contumacia un-
respondentis 4 Saest. 1719, 1725, 1735. 1759.
- 9^{a, b, c} Boetmerus, Justus Henricus: De matrimonio con-
tra 2 Saest. 1721. 1735

10^a ^{et} Buchner, Fides Henricus : Doctrinam de fide eccle-
siasticis Von Krumpholtz'scher Lehrn . . . publico . . .
examini exponens. 2 Sacult. 1725 i 1733

11^a ^{et} Buchnerus, Fides Henricus : De jure Liturgico.
2 Sacult. 1717 i 1738.

MICHAELIS ALBERTI

PROFESSOR OF THE CHURCH HISTORY
IN THE UNIVERSITY OF GIESSEN

PROFESSOR OF THE CHURCH HISTORY

VERO SENSU MELIUS

ET PATEBILIS



[Faint, illegible handwriting in blue ink, possibly bleed-through from the reverse side of the page. The text is mostly illegible due to fading and bleed-through.]



13.
DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA
DE

1777
3
3
**HÆMORRHO-
IDARIORUM REGI-
MINE ET DIÆTA,**

QUAM
DEO PROPITIO

ET
RECTORE MAGNIFICENTISSIMO,
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO
DOMINO CAROLO,

BORUSSÆ PRINCIPE, MARCHIONE BRAN-
DENBURGICO, CETERA

GRATIOSÆ FACULTATIS MEDICÆ CONSENSU,
PRÆSIDE,

DN. D. MICHAELE ALBERTI,

POTENTISS. REGIS BORUSSÆ CONSILIARIO AULI-
CO, MEDICINÆ PROFESSORE PUBLICO ORDINARIO,
PHILOS. NATUR. EXTRAORD. REIPUBL. NORIBERG. PHYS.

ORDIN. ACADEM. NAT. CURIOS. COLLEGA,

FACULTATIS MEDICÆ *b. r.* DECANO SPECTATISSIMO,

PATRONO, PRÆCEPTORE AC PROMOTORE SUO
CVM HONORIS CULTU PROSEQUENDO,

PRO GRADU DOCTORIS,

Summisque in arte Medica Honoribus, Insignibus, ac Privilegiis
More Majorum Solenni Obtinendis,

Ad d. Decembr. MDCCXVII, horis ante & pomeridianis,
Publicæ Eruditorum ventilationi submittit

IOHANNES HARDER,

SCHAFFHUSA HELVETVS.

HALÆ MAGDEBURGICÆ,

Typis CHRISTIANI HENCKELII, Acad. Typ.

DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA

18

HAEMORRHOIDARIORUM REGIMINE ET DIETA

DEO ROTTO

DOMINO CAROLO BORUSSIA PRINCEPS AC DOMINO

BOUSSIA PRINCEPS MARCHIONIS BRAN

DR. D. MICHAEL ALBERTI POTENTIS REGIS BOUSSIA CONSILARIO AULICO MEDICINAE PROFESSORE PUBLICO ORDINARIO

PHILOSOPHIAE EXTRAORDINARIO REGII ROTTO

PRO GRADU DOCTORIS

JOHANNIS HARDER

1800





PROOEMIUM.



Naturæ leges præscribere

& præcepta ordinare, tentamen non modo temerarium, sed & infructuosum esse videtur, imprimis quando juxta communem sensum naturæ universi si-ve naturæ rerum, adeoque in generico sensu sumptæ, infallibilis & maxime ex-

quisitus ordo adscribitur ex quo innotuerunt illa asserta, quod *Deus & Natura nihil faciant frustra*, quod *Deus & natura non errent*, sed singula in exacta & justa harmonia administrent: quanquam vero hæc asserta verissima sint, si *Deus & Natura* pro uno eodemque subiecto atque principio sumuntur, attamen si ad naturam humanam nos convertimus, eandemque advertimus, certe haud aberrabimus, quando dicimus, quod nihil communius nihilque frequentius, quam quod natura humana erret & à via recti deflectat; quæ propterea tanto magis moderatore, ministro & interdum plane direttore opus habet, quo ipsi interdum regulæ & præcepta salutaria & idonea ordinentur. Sed unde aliter ejusmodi auxilia & regimina secuta, congrua & utilia hauriri possunt, quam ex ipsa illa methodo, quam sibi relicta & in legitima activitate constituta natura humana in corporis sui emolumentum invenit & exsequitur, ut ex eo rectum o-

minimo sit regula curvi & Medicus, qui naturæ minister, non habeat, quo operose & anxie conquirat, quæ in corporis salubritatem cedere possunt: quamdiu enim simplicissimus ille ordo, per quem divina benignitas, corpus vivum esse instituit, præcepit & concessit, non turbatur, tam diu salva & integra manet sanitas, ut eleganter, verè & sapienter propterea elocutus sit *Seneca Epist. 95. immunes erant ab istis malis, qui nondum se delicia solverant, qui sibi imperabant, sibi ministrabant: corpora opere ac vero labore durabant, aut cursu defatigati, aut venatu, aut tellure versata: excipiebat illos cibos, qui nisi esuriemibus placere non poterat: itaque nihil opus erat tam magna medicorum supellex, nec tot ferramentis atque pyxidibus; addit: simplex erat ex simplici causa valetudo: multos morbos multa fercula se erunt: vide quantum rerum per unam gulam transiurarum permisceat luxuria, terrarum marisque vastatrix: & mox in eadem Epist. subjicit: Dii boni quantum hominum unus venter exercet: Et hæc methodus, qua corpus humanum post deplorandum lapsum extreme corruptibile à corruptione seu morte præservatur, est ita plana atque simplex, ut nulla sincerior excogitari possit, dum videlicet superflua imminuuntur, noxia tempestivè evacuuntur & utilia atque necessaria retinentur & reparantur, quippe qui scopi effectibus secretoriis, excretoriis & nutritoriis obtinentur: quo magis vero hæc methodus turbatur, eò certius tota æconomia vitalis offenditur: neque opus est hunc ordinem quam diu legitime procedit, variis artificiiis permiscere, multo minus multiplicibus mutationibus, quæ juxta *Senecam Epist. 2. ubique noxia sunt, submittere, quoniam vulgare illud dicitur verissimum existit, quod natura paucis sit contenta, quo congrue applicari potest, quod Epicurus dixit: si ad naturam vires nunquam eris pauper, si ad opinionem, nunquam dives: exiguum natura desiderat, opinio immensum: quare in experientia quotidiana abundè comprobatum est, quod quo magis homines, sollicitè, scrupulose, curiose, speciose, & dif-**

fufè

fuse fanitati suæ curam habent, eò magis infirmi & ægrotationibus frequentioribus expositi deprehendantur, nam quo plus à naturæ methodo discedunt & arti se comittunt, eò minus benignitate naturæ fruuntur, eoque magis defectus artis experiuntur, unde denuo ejusmodi subditum artis cum *Seneca ex Epist. 121.* compellamus: *tunc demum intelliges quid faciendum tibi, quid vitandum sit, eum didiceris, quid naturæ tuæ debeas.* Et quonam tempore homines magis illibata fanitate & exoptata longævitate gaudebant, nisi ubi simplicitate vivendi indullerant & naturæ interserviebant eandemque non turbabant! Quo tempore minor medicorum numerus fuit, nisi ubi homines à luxurie abstinebant & ordinem naturæ neque pravis & corruptis moribus, neque perverfis vivendi generibus confundebant: unde recte *Plato* dixit, *quod multitudo medicorum arguat intemperantiam hominum:* Dum itaque simplex & ingenua naturæ methodus quotidianis documentis & exemplis per pravas consuetudines, malos mores, irregularem vitam & perversam dietam corrumpitur & confunditur, æquum omnino & necessarium est, quo nunc certæ regulæ & congrua regimina ordinentur, ne tam variis & fonticis periclitationibus fanitas subjiciatur: sicut vero juxta *Caronem apud Agellium arduum est, ad ventrem verba facere, qui auribus caret,* ita sæpe frustra talia salubria & utilia præcepta commendantur, quia pravitas hominum ita contumax est, ut in principiosis delectationem affectet, hinc inter immorigeros tales homines in proverbium abiit germanicum illud dichterium, *ich esse was mit schmeckt und leide was ich fan,* interim tales corrupti homines vitam & fanitatem non odiunt, eandemque per artificialia robore & fulcire contendunt, sicque à natura discedunt & artis servi evadunt, ubi denuo illud *Senecæ ex Epist. 14.* applicamus: *infirmis nobis est nostri corporis caritas, cuius tutelam gerere licet, nec nego indulgendum illi, non serviendum esse:* hinc illi qui naturæ benignitatem & imperium fugiunt, artis jugo humeros submittere debent, quo convenit illud *Syracidis cap. 38. v. 15. Qui peccat adver-*

Sus opificem suum, incidat in manus medici: summus vero maximus, optimus & perfectissimus opifex est Deus, inferior contra natura. Ejusmodi consilia porro quæ in ordinando bono regimine & commendanda congrua diætâ operosa & studiosa sunt, discrepant omnino tum quoad diuerfos hominum mores, & consuetudines, tum etiam corporis constitutiones, sensibilitates, propensiones in diuerfos morbos, vitæ genus &c. ut propterea Hippocrates Lib. 3. de diætâ ita exordiat: de Diætâ humana exactè quid conscribere --- non est possibile -- multa enim sunt impedimenta primum quidem hominum naturæ diuersæ existentes --- deinde ætates; non iisdem indigentes, insuper & regionum situs, & ventorum mutationes & temporum alterationes & anni constitutiones, est & inter ipsos cibos multa differentia. Quemadmodum itaque naturæ motus, vitæ, ordines & effectus simplices sunt, ita nulla unquam melior & benignior Medicina fuit, quam simplicissima, quæ videlicet consistebat in præscribenda convenienti diætâ & inueniendo atque ordinando bono regimine, vicissim vero semper in deteriorem degeneravit statum vitæ & sanitatis humanæ conditio, cum secreta, occulta, magnifica & speciosa adminicula inventa fuerant; nonne illi ad longævitatē pertigerunt, qui simplicia illa consilia & plebeia adminicula adhibuerunt; & quousque longævitati suæ illi contra consuluerunt, qui per speciosa arcana, per admirandas Panacæas, per stupenda polychrestâ & similia naturam emendare & roborare intenderant? sed cur in generalibus hisce tamdiu hæremus: observabimus potius, in uno specimine ipsius naturæ simplicem benignitatem & activitatem in œconomia sua vitali, quando abundantiam quorundam humorum molestam atque suspectam sine mora proximè certa & convenienti quantitate evacuat atque immittit & ita cito molestam copiam ventilat atque exonerat: & hæc est simplex atque ingenua illa methodus, quam circa sanguinem superfluum applicat, quem per diversas vias atque regiones juxta ætatam variationes communiter vel salutari intentione,

tione, vel utili & salubri executione eliminat: placet hoc loco non in singulas Hæmorrhagarum species evagari, sed ex omnibus reliquis hæmorrhoidalem fluxum seligemus, mediante quo natura humana eandem simplicem methodum adhibet, liberandi corpus, à sanguine superfluo, qui præprimis in periodis virilitatis molestus existit: tales itaque methodos bene & provide observare convenit, ne vel ipsi homines, (qui salutare tale opus naturæ experiuntur,) vel medici contra easdem impingant & ullo modo pugnent: nam quid communius est, quam extraordinarias ejusmodi evacuationes pro morbidis & perniciosis æstimare & declamare, quasi cum sanguine vires, robur, vita, sanitas, ipsa etiam anima effundatur! quid vero communius est, quam ex suppressis legitimis Hæmorrhagiis periculosa consecutaria experiri & oblerare: ut propterea maxima cura & maximo studio opus sit, quo tales simplices & benignæ naturæ operationes prudenter & convenienter tractentur, & ab omni offensione præoccupentur: aureus hic hæmorrhoidalis fluxus, si legitime decurrit, auro omnino dignior & pretiosior est, adeoque tali moderamine indiget, ne unquam offendatur, & salutari suo effectu frustretur: hinc illæ lacrymæ hæmorrhoidariorum, quando hunc fluxum ob malum vitæ genus turbant aut oppreserunt, & nunc juxta Senecæ effatam intelligunt, quid faciendum, quid vitandum sit, quid naturæ suæ debeant, & in quo naturam suam violarunt: hinc resipiscunt & undiquaque consilia inquirunt & implorant, sed certe aliquando sero sapiunt phryges! permovet nos hæc animadversio, quo multorum desiderii satisfaciamus: & cum nobis incumbat, quo Inaugurali quodam specimine, utilem aliquam medicam materiam pertractemus & commendemus, ita laborabimus ut hæmorrhoidariis certas regulas præscribamus, quibus uti possunt, si hæmorrhoidalem fluxum in justo & congruo successu conservare & à suspectis incommodis & impedimentis præservare, adeoque ex hæmorrhoidali fluxu spem impetrandæ longævita-

gavitatis concipere volunt: ob id propositum nostrum est, differere de HÆMORRHOIDARIORUM REGIMINE ET DIÆTA: Benedicat itaque Deus O. M. nostris conatibus, eosdemque ita secundet, quo vitæ humanæ, (cujus ipse autor summus est,) ejusdemque utilitati aliquali opella consulamus.

Th. I.



Hæmorrhoidariis dum præsentî labore congruum *Regimen & Diætam* justam commendare & præscribere cogitamus, necesse forte erit, brevibus pro tituli qualicumque illustratione antea indicare, primo, cum quibus *hæmorrhoidariis* nobis in hoc proposito commercium sit, deinde quousque sese *regimen & diætâ* in *hæmorrhoidariis* extendat. Quod hæmorrhoidarios attinet, tunc eorundem status *diversus* est, vel enim *proximus* ad hæmorrhoidalem fluxum *inclinant*, ita ut adhibito congruo moderamine eò certius atque facilius actualis *Hæmorrhoidum* eruptio, sub tali legitimo vitæ genere expectari queat: deinde sunt hæmorrhoidarii, qui nunc *legitimo* Hæmorrhoidum *fluxui* expositi sunt & qui hisce *moderaminibus* auscultant, tanto magis in hoc *justo* Hæmorrhoidum *successu* *confirmantur*; hæmorrhoidarii porro sunt, qui *excessive* Hæmorrhoidum *successui* obnoxii existunt, in quibus tanto magis tali *regimine & quasi directorio* opus est, ne accelerata *damma*, ex ejusmodi *excessibus* proveniant: hæmorrhoidarii proinde omnino sunt, qui difficili, impedito & turbato Hæmorrhoidum fluxu laborant, qui multis *anomalicis* commotionibus hæmorrhoidalibus expositi sunt & qui Hæmorrhoidum *suppressione* laborant, interea *motus* adhuc *hæmorrhoidales* eminus *vagantes* & ad Hæmorrhoides *collineantes* experiuntur: omnes & singuli tales *hæmorrhoidarii* indigent fræno, *moderamine & regimine*, ne deteriora sequantur, sed quo corpori & vitali œconomix bene sit: quod vero *alteram* considerationem concernit, tunc animus nobis est

tales regulas hæmorrhoidariis suppeditare, quæ circa legitimum usum objectorum & subjectorum, quibus Indies fruuntur, versantur, seu externæ seu internæ sint causæ & occasiones & quidem vel tales, quæ absolute ad durabilitatem aut vitalitatem hominis spectant, vel quæ per accidens intercurrunt & præcipuè hæmorrhoidali negotio combinari possunt, quo nomine agendum erit de regimine hæmorrhoidariorum circa medicos & medicamenta: & sicut vulgo omnes homines inter res non naturales versantur, è quarum congrua applicatione & iusto selectu pro vita & sanitate multa utilitas emergit, ita juxta nostrum propositum tractandum erit, de selectu atque usu rerum non naturalium ab & in hæmorrhoidariis, ne videlicet ex abusu aut perverso usu earundem huic hæmorrhoidali negotio damnum atque præjudicium accidat: quod vero seorsim dietam ab hæmorrhoidariis servandam respicit, tunc inter reliquas res non naturales imprimis justum usum cibi & potus annotabimus, quia circa alimenta & potulenta ab hæmorrhoidariis ferme frequentiores aberrationes committuntur, & quia æque facile hæmorrhoidarii ac foeminae menstruatae ex perverso illorum usu singularia & frequentia sanitatis suæ damna incidunt: servabimus interea in qualibet tali consideratione justum selectum, neque nimis scrupulosas regulas pro communi usu ordinabimus, ne hæmorrhoidarii, ex quibus multi homines impatientes sunt, habeant de quo conquerantur, sed quo facilius obtemperent & sanitati suæ consulant.

II.

Et dum Regimen atque Dietam pro hæmorrhoidariis conscribere intendimus, habemus omnino justam causam, quo hunc laborem dignum & necessarium esse reputemus, quoniam 1) ipse status hæmorrhoidalis meretur, quo à qualibet offensione & perturbatione præservetur, ejusque salubritas eò magis adjuvetur & confirmetur: sicut in genere quælibet utilis & salutaris actio majori magisque sollicita cura indiget, quod imprimis de motu & fluxu hæmorrhoidali valet, quo cum extraordinem natu-

B

tu-

tura corporis sui conservationem & durabilitatem prosequitur: 2) quia negotium hæmorrhoidale & extraordinaria talis naturæ humanæ operatio cum multa sensibilitate & interna estimatione aut tenaci activitate administratur, adeoque facile *accidentalibus perturbationibus* & alterationibus exponitur, ut tanto magis moderamine & directorio congruo in illo actu opus sit: 3) quia *offensiones* & alterationes communiter à *rebus non naturalibus* eidem superveniunt, ut eo magis necessarium sit indicare, quomodo hæmorrhoidarii *his rebus* rectè uti debeant, ne vel *positivè* vel *privativè* exinde *decrementum* quoddam nanciscantur: 4) quia ut plurimum hæmorrhoidarii ejus constitutionis atque *indolis* sunt, ut facile sese ejusmodi *causis* submittant, ex quibus in frequentes motuum hæmorrhoidalium *inversiones* incidunt: etenim subiecta quibus hæmorrhoidalis fluxus, facilius & frequentius obtingit, sunt *mixti* temperamenti, videlicet *sanguineo-melancholici*, aut *sanguineo-cholerici*, quæ in malo facilius quam in bono excedere possunt & solent & ex prædominio *Sanguinei* temperamenti facile *erroribus* quoad *nonnaturales* res exponantur: quemadmodum verò hæmorrhoidales motus non raro *nobilibus* & *sacerdotibus* eveniunt, ita horum vitæ genus sæpe testatur, quod non raro talia committantur, quæ in negotium hæmorrhoidale *turbulentiam* aliquam transferunt: 5) quia bono *regimine* & congrua *dieta* in hoc negotio tantam *damnum* præscinditur & præoccupatur, quantum sæpe decem imo centum medici vix emendare & *positivis Pharmaceuticis* artificijs avertere possunt: 6) quia *regimine* & *dieta* hæmorrhoidarii longe *efficacius*, imo magis *seruere* tractantur & status Hæmorrhoidum in *meliori ordine* conservatur, quam diversis *positivis artificiosis* auxiliis: 7) quia hæc *methodus naturæ* convenientior magisque accepta est: 8) quia citius *securo* & huic negotio magis *competentes* effectus *salutares* impetrat: 9) quia simul reliquum *ordinem vitalem* sublevat & *ordinarias* salutares functiones promovet & faciliat, adeoque sine strepitu atque tumultu efficax est: 10) quia neque *speciosa* neque

neque pretiosa hæc est methodus, sed ex consuetarum rerum debita applicatione fluit: 11) quia sensum naturæ non turbat, vires & corpus non ægrè afficit, animum & corpus simul in justam tranquillitatem redigit & præter vitales utilitates, non exiguas morales salubritates infert & denique 12) quia in ipsa experientia longe magis fundata & comprobata est, siquidem per hanc methodum ab omni tempore majus emolumentum generi humano accidit, quam per mere artificialem & absolute pharmaceuticam: ut aliarum concurrentium circumstantiarum non reminiscamur.

III.

Proinde ipsi hæmorrhoidarii in diversa sua afflictione talia consilia efflagitant, quæ maxime ex regimine & diætâ haurienda sunt, licet difficile perquam sit, quo iisdem obsecundent, quicunque enim in tali statu sese aliquoties arti submiserunt, ex hac vero parum solamini acquiverunt, quin interdum loco speratæ euphorie, potius periculosas & sinistrae consecutiones obtinuerunt, illi averfantur omnino talia artificia, ne in deteriorem statum projiciantur & ex alio foro auxilium quærunt, imprimis si judicant, quomodo à malo animi & corporis regimine & perversa diætâ in irregularitates motuum & fluxuum suorum hæmorrhoidalium inciderint, ob id imposterum ex eo compensare volunt, in quo antehac & excesserunt & defecerunt, licet hæc pœnitentia non semper diu duret: siquidem mox immorigeritales hæmorrhoidarii antiquos mores & antiquas consuetudines præferunt & exercent: interim tam diu interdum obtemperant, quam diu periculum imminet & afflictio urget: habent enim hæmorrhoidarii ut plurimum animum immorigerum & merentur certe, quo podagrîci, nephritici & hæmorrhoidarii in unam classem conjiciantur, siquidem hæc affectuum triga non exiguam communionem & consanguinitatem habet: eò magis vero tales hæmorrhoidarii in calamitatibus suis, anxiam opem inquirunt,

runt, quo magis *vitam* suam *amant* & mortem timent & a-
 versantur, nimirum juxta naturalem suam indolem: nihil æ-
 stimantes quod *Seneca* olim dixit: *quid est turpius, quam senex*
vivere incipiens: Quando vero hæmorrhoidariis hoc loco *re-*
gimen & dietam præscribimus, non eousquæ nostrum propofi-
 tum extendendum est, quasi *quælibet* Hæmorrhoidum incom-
 moda & *irregularitates* cum tali subministrato *consilio* absolute
emendari queant: illud interim asseveramus, quod *præ aliis* ad-
 miniculis bonum *regimen & diætâ* congrua *hæmorrhoidariis* ordi-
 inari debeat: deinde iterato indicamus, quod tale consilium
 magis in *præservatoria* opitulatione consistat, quam curatoria,
 dum ex parte *accidentalium* incommoda & periculosas consecu-
 tiones avertit & intercipit, ex quo eo magis sese commendat,
 dum *principiis* *obstat*, neque *contrarios* effectus expectat atquæ
admittit: eo magis vero *talis* medendi *methodus* approbata est,
 quia minime *superficiariè* aut *palliariè* affectui succurrit, sed
 eundem è fundamento tollit aut afficit, siquidem è regimine
 & diætâ tam *positivè* quam *privativè* quædam adhibentur, quæ
 affectui essentialiter competunt: quid quod optima deniquè
 hujus methodi est *commendatio*, cum qui semel eandem adhi-
 buerunt, nequè per *contraria* statum suum hæmorrhoidalem
 turbarunt, *vegeti* & *alacres* sint *hæmorrhoidarii*, neque ullo *pe-*
riculoso & verè morbido incommodo laborent: cum contra
 illi *pestimi* sint *hæmorrhoidarii*, qui plus eandem methodum *of-*
fendunt: quo facilius deniquè in *extraordinariis* operationibus
 natura humana *evagari* & vel deficere vel excedere potest & so-
 let, eò magis tali congruo *regimine* opus habet, cum *difficile* a-
 lias sit, semel *turbatum* tale officium in justum *ordinem* redige-
 re: quale *analogum* exemplar occurrit, in *Mensum* fluxu, qui
 quando semel per *vitia Diætæ* perturbatus est, diu talis manet,
 & *longo* moderamine sæpe indiget, donec in justum *ordinem* ite-
 rum convertatur.

Omnes itaque hæmorrhoidarii, cujuscunquè conditionis, indigent bono *regimine* & regulari *dieta*, nequè æque contingit, ut tantum per *viciosas* operationes status *Hæmorrhoidum* offendatur, sed possunt imo solent etiam diversæ actiones ad bonum scopum prævisæ *Hæmorrhoidibus præjudicare*, quæ itaque in *relatione* ad negotium hæmorrhoidale *incongruæ* sunt, licet *in se* non adeo *culpose* existant: hinc *moderata* durant, *omnis* vero *excessus* nocet; quare ipsa *indoles* regiminis, in *abstracto* considerata, justam *temperiem*, involvit & *excessum* atque *defectum* præoccupat: in *concreto* vero rem æstimantes *regimen* & *dieta* in hæmorrhoidarii tum *motus* hæmorrhoidales respicit, tum *quantitatem* & *qualitatem* sanguinis, ut inter *materiam* & *motum* iusta *proportio* intercedat: quo itaquè proximius ad præsentem tractationem accedamus, *primum* erit ut agamus de *regimine hæmorrhoidariorum*, quoad usum *Aeris* & diversas illius *constitutiones*: in hac animadversione notari antea debet, quomodo *subiecta* hæmorrhoidaria tum quoad *uniuersalem* suam *habitum* & *statum* sive *temperamentum*, tum quoad *dispositionem* suam ad *hæmorrhoidalem* fluxum *fatis sensibilia* sint, adeoque variis *alterationibus* obnoxia reddantur, quæ alterationes tam in *uniuersum* *statum* *œconomiae vitalis*, quam in negotium *hæmorrhoidale* transeunt, inter illas vero causas *externas* quæ hæmorrhoidarios afficiunt, est accessus & *usus aeris* merito commemorandus: ubi tanto magis tenendum & observandum est, quomodo *subiecta temperamenti* antea nominati, non adeo *accuratè* & *temperanter* circa *aeris* usum versentur, sed communiter & *indiscretim* illius accessui sese submittant, *qualiscumquè* etiam fuerit, cum ob rationem naturalis suæ constitutionis paulo *impatientia* sint, nequè *fatis sollicitè* aeris *injurias* discernant & evitent, sed prægressæ sanitati confidentia *incuriosus* quibuslibet aeris *immutationibus* sese exponant, unde aliter non fieri potest, quin

non modo in genere tandem aëris injurias experiantur, sed & in hæmorrhoidali suo statu, ob id in eminentes *offensiones* incidant: est vero talis *morbosa* aëris constitutio, quando partim *temperata* est cum *frigido* aquilone & euro commixta, partim quando aura est *humido-frigida*, *uvida*, *squalida*, *torpida* & *nebulosa*, qualis conditio aëris non modo ad eminentem & evidentem *motus progressivi* sanguinis *ataxiam* disponit, & legitimum *effectuum vitalium* successum turbat, imprimis debitam *transpirationem* impedit, & simul *alvinam* excretionem alterat, sed & ad *sanguinis* *incrassationem* sive *spissitudinem* & *diversarum viarum* & *regionum* *tonicam* *perverſam* *occlusionem* & *obrigescentiam* contribuit, non raro etiam ad *insolitas* alias *evacuaciones*, (sub quibus interdum in *consuetudinem* administrandarum *Hæmorrhoidum*, quin in ipsos *motus* hæmorrhoidales non exiguum *præjudicium* inducitur,) disponit, quales sunt *diarrhœæ* & *connexæ colicæ* & *flatulentæ* molestiæ, conamina *vomibunda*, *rheumatismi*, *coryza*, *gravedo*, *tussis*: tales singuli affectus hac occasione provocati habent & inveniunt omnino, quo successivè *motus* hæmorrhoidales *perturbent*; unde circa *causam* illam quæ ad affectus hosce confert, *regimine* & *moderamine* opus est, ne ita liberallyter & frequenter eidem sese subjiciant *hæmorrhoidarii*.

V.

Quod vero seorsim *frigus* atque *calorem* concernit, tunc circa hæc aëris qualitates subinde hæmorrhoidarii admonendi sunt, quo *temperiem* justam fervent: *calor* enim *moderatus* in tota *œconomia* *vitali* *utilis* & *necessarius* est, tanto magis *salutaris* erit in ejusmodi statu, quando *extraordinario* quodam actu *natura* sui corporis *salutem* prosequitur: in quantum enim in genere *calor* *moderatus* *fluiditati* & *mobilitati* *sanguinis* & *reliquo*rum *humorum*, *debitæ* *partition* & *viarum* *permeabilitati*, *æquali* *humorum* *distributioni*, *se-* & *excretionum* *promotioni* & *diversis* *parallelis* *usibus* *inservit*, in tantum *singulæ* hæc *utilitates* nego-

negotio hæmorrhoidali conferunt, in quo debita sanguinis fluiditas, iusta partium apertura & flexibilitas & congruus reliquarum excretionum successus, multam opem affert, cum vicissim ex qualicunque harum circumstantiarum offensione, non exigua damna & præjudicia negotium hæmorrhoidale premant, siquidem spissitudo sanguinis, densitas, angustia, siccitas & obrigescentia partium, nec non excretionum ordinarium, imprimis alvinarum perturbationes, motus hæmorrhoidales graviter offendere & confunderè possunt, & quod id præsent abunde observatur, ut propterea hæmorrhoidarii moderate calidum regimen constanter servari debeant, imprimis cum legitima tum totius corporis, tum partium inferiorum, laxitas atque apertura, eò conducit, quo sanguis hæmorrhoidalis tanto commodius & facilius, intra hæmorrhoidalia loca immitti & eò efficacius ex iisdem exprimi queat: unde maxime necesse est, quo hæmorrhoidarii imprimis pedes & femora, sive inferiores partes bene obtegant, in constanti mediocri calore contervent & à sensibili, tanto magis frequentè refrigerio arceant: etenim analogum exemplum occurrit in fœminis mensuris fluxibus subjectis, quæ eò citius mensibus nunc fluentibus, non minus vero etiam extra mensium fluxum, turbas, incommoda & impedimenta circa mensium negotium patiuntur, quando incuriosius & negligentius pedes tegunt, sed usitatus & sæpius inferiora loca refrigerant: & licet errores, tam in regimine quam in diæta commissi citius & gravius noceant, quando jam vel fluxus vel motus tales hæmorrhoidales urgent & insistant, tamen si eadem extra hæc tempora committuntur, nihilominus aliqualem efficaciam habent in turbandos hosce sive actuales fluxus, sive motus eluclantes, imprimis vero quando tales extraordinarie eluctationes & eructationes non certis atque exquisitè & constanter stas periodis decurrunt: quo itaque sub moderato calore in hæmorrhoidariis progressus & transitus sanguinis in & per partes & regiones inferiores invitetur atque facilitetur, convenit ut

in-

interdum *pediluvia* adhibeantur & *frictiones* pedum & femorum cum *linreis calidis*, aut moderati *infectus* aut moderata *secca balnea* cum applicatione *cucurbitularum cæcarum* ad *femora* & *suras*: quæ posteriora consilia præcipue conveniunt, ubi motus hæmorrhoidales *defectivè* & *impedite* progrediuntur.

VI.

Dum de congruo *moderamine* quoad *caloris* usum modo dictum est, ita etiam nunc *excessum* quoad *calorem* damnamus, qui vel *in se ipso* nocet, vel in relatione ad *subitanam mutationem* in *contrarias* qualitates perniciosus est: *nimia exæstuat* & *momentanea impetuosa incallescencia*, hæmorrhoidariis omnino præjudicat, dum propter *vehementes* & frequentes humorum *impulsus*, vel ad suspectos *infarctus* vel ad *nimios fluxus*, vel ad *motuum hæmorrhoidalium genericas evagationes* ansa præbatur, omnis enim *impetuosa* & *præceps* operatio sapissimè suo congruo *fine* destituitur, quid quod evenit, ut dum *excessiva* incallescencia sanguinis *impulsus* magis in *superficiem* corporis invitet & ab aliis locis *divertat* atque *distrahatur*, ita successivè eadem *motus hæmorrhoidales seducat*, avertat & confundat, aut eosdem *motus vagabundos* & immoderatos reddat: imo dum *nimius calor* sanguinè valde *attenuat* ad motuum vero augmentum excitat & commovet, ita in aptis & certis subjectis exinde *Hæmorrhoides* in *excessum* conjiciuntur, aut ob *impetuosum illud humorum & motuum* incitamentum *varia anomalie*, quoad *successum* Hæmorrhoidum provocantur: circa alteram circumstantiam habemus etiam quo *momenta quædam* adjiciamus, videlicet ne *post majorem incallescenciam & exæstuationem* confestim vel majori vel minori sensibili tamen *refrigerationi* ut dum suum corpus subjiciant, adeoque non modo *genericis* sed & *specialioribus* motus sanguinis & excretionum *successibus* magnam *perturbationem* inducunt: etenim *motus hæmorrhoidales* arctam habent *affinitatem* cum reliquis motibus & effectibus ad *vitam* spectantibus: habent propterea imprimis *nobiles*

biles hæmorrhoidarii, quo regimen & moderamen adhibeant, ne venationibus immodicis aut similibus generosis exercitiis corpus suum *defatigent* & exæstuent & mox *liberiori* aurâ sese committant & pro solenni *impatenti* animo *refrigeria* talia suscipiant & inquirant: habent hi & plures alii, quo sibi moderentur & peregrinationes *nocturnas*, imprimis *hybernas*, quando è valde *calefactis* locis, eximio & diuturno *frigori* sese exponunt, aut sub *fortioribus* commotionibus *superficiali* exæstuationi sese committunt, ut *irregulariter* corpus incalescat, ex quo in talibus subjectis futuris *irregularibus* Hæmorrhoidum *moribus* & *successibus* ansa suppeditatur: etenim in talibus hæmorrhoidale negotium est quasi *meta* & *objectum*, quo eminentiora *vitia*, quæ contra bonum regimen exercentur, *collineant*: non minus etiam *mysticæ* & *ecclesiastici* oratores, qui non raro hæmorrhoidarii sunt, inveniunt occasionem ne *eminus* negotio suo *hæmorrhoidali* intantum præjudicent, quando post qualemcunque corporis *exæstuationem* & sub hac concitatam *sudationem*, mox *refrigeria* quærunt, quæ *momentaneæ* mutationes, sicut omnibus, tanto magis *sensibilibus*, subjectis *inimicæ*, ita tanto magis ab hæmorrhoidariis vitandæ sunt, quia in *futurum* ad varia *incommoda*, quæ *hæmorrhoidali* statui sese sociant, concitanda satisfaciunt.

VII.

A calore ad *frigoris* considerationem progredimur & indicabimus, quomodo circa hoc peccare possint hæmorrhoidarii & quale vicissim regimen, circa illud servare debeant: est itaque & quale vicissim regimen, circa illud servare debeant: est itaque *nimum* & *diuturnum* *frigus* omnino hæmorrhoidariis nocivum, sive *extra* molimina hæmorrhoidalia & fluxum hæmorrhoidalem, sive *sub iisdem*: enim vero *frigoris* efficacia & *relatio* ad corpus animale *virium* contrariatur calori, unde humores magis *condensat*, inspissat & immobiles reddit: si itaque *sanguis* *crassus* est, difficile perquam est, quo *in* & *per* loca *hæmorrhoidalia* sufficienter transferri & *exprimi* queat, quapropter *spissitudo* hæc

C. di-

diversis incommodis, *infarctibus* & *stagnationibus* anſam præbet, aut ad *ſpaſmodicam* magis rigoroſam & exorbitantem commotionem diſponit: deinde etiam *frigus* illud *externum* & *internum* ad *occluſiones*, *incaſtrationes* & *obſtipationes*, *regionum*, *meatuum* & *viſcerum* prompte contribuit, liquidem *conſenſio frigoris* & *connexi effectus conſtrictorii* in pathologia medica magnam æſtimationem meretur: unde fluunt illa phænomena, quomodo ſub *narium hæmorrhagiis*, *nucha refrigerata*, interdum *ſerotum* & *hepatis regio refrigerata*, ad earundem *ſuppreſſionem* ſatiſfecerit: & quis in hiſce effectibus rationabiliter ad conſenſum nervorum provocare poterit? non vero eſt noſtrum, quo in exponendo hoc effectum immoremur: ita quotidianum eſt, ſi *feminae proximè ante menſium fluxum*, aut *ſub illo pedes multum refrigerant*, quomodo certò *menſes imminuantur*, imo interdum *ſupprimantur*: miſſis pluribus evidentibus talibus effectibus, qui comprobant, quod & quantum *frigus* valeat in *deobſtruendis* partibus, *Hæmorrhagiis* alioquin dicatis: inde eſt cur *hyberno* tempore non modo *Hæmorrhagiæ* *difficilius* ſed & *parcius* ſuccedant: imo habet etiam *frigus* efficaciam in alterandam *alvinam* excretionem, quo vide licet hæc *tardius* & *impeditius* adminiſtretur, unde *hyberno* tempore *alvus* eſt *ſiccior* & *ſegniſ*, & propterea *Hippocrates* *ſect. 3. aphor. 21.* *diarrhœas* affectibus æſtivis annumerat: cum itaque *juſtus Hæmorrhoidium ſucceſſus* multum nitatur *legitimo ſucceſſu alvinæ* excretionis, ne hæc *confuſa* & *variis inteſtinorum ſtricturis* ſubmiſſa ſit, ita maxime necesse eſt, circa *frigoris* admiſſionem *moderamine* uti, ne *exinde* *Hæmorrhoides* aliquod offendiculum patiantur: propterea etiam contingit, ut in *legitimo ſtatu Hæmorrhoides* variis *hyberno* tempore procedant & erumpant, quin potius magis *illo tempore* *difficilioribus* *progreſſibus* *obnoxie* obſerventur, & *cæteroquin* *parcius* fluant; ne itaque *hæmorrhoidarii* ex *nimia frigoris* admiſſione *ſuturis* hæmorrhoidalibus ſucceſſibus *impedi-*
mentis

menta talia injiciant, fas omnino esse, ex omnibus hisce *demonstrationibus arbitramur*, quo circa *frigus* bono *regimine* utantur, proptereaquè imprimis moderate *calido* regimini indulgeant, quo illi qui in *Hæmorrhoides* inclinant aut iisdem subjecti sunt, eligant sibi talia hypocausta & loca in quibus ut plurimum degunt, quæ non *frigida* sunt, *lapidibus* strata aut *sub cellis* posita, sed *siccæ*, temperatæ & *serenæ auræ* exposita,

VIII.

Posteaquam de regimine hæmorrhoidariorum, quoad aëris usum egimus, nunc in ordine significabimus, quale regimen circa *Motus* & *Quietis* usum hæmorrhoidarii servare debent: quemadmodum vero *Motus* corporis *voluntarius* seu localis, unum ex optimis maximèque selectis adminiculis est, per quod *sanitas* & corporis integritas promovetur, ita imprimis *hic motus* peculiarem utilitatem in hæmorrhoidariis exhibet: dum enim ad justum Hæmorrhoidum *successum* inter alia conveniens sanguinis *fluiditas* pertinet, debita partium *flexilitas*, congrua viarum & locorum *permeabilitas*, legitimus aliarum & quidem *ordinariorum excretionum* successus, ita singulis hisce & adhuc multis aliis huc quadrantibus requisitis impetrandis *motus ille* inservit: imprimis vero eò maxime contribuit, quo sanguis in legitimo suo *circuii* conservetur & *equaliter* distribuatur, neque *particularibus* & interdum *anomalicis congestionibus* & restrictionibus subiciatur, unde in hoc *palmario* suo motu nihil turbata natura, *extraordinariam* talem sanguinis exonerationem citra turbulentas & impetuosas commotiones profequitur & perficit, maxime vero eò contribuit *ejusmodi* motus exercitium, quo *equaliter* & *placide* sanguis ad loca *hæmorrhoidalium* congeratur, sine partium conaxarum oppletionè, *infarctu* & suspecta atque periculosa intumescencia: non minus *mobile* tale vitæ genus ipsam *naturam* in congrua *alacritate* conservat, quo ad subeundas tales *extraordinarias* operationes *prom-*
prior,



prior, moderatior & magis vegeta existat atque sub reliqua tali activitate eò facilius speratum & congruum effectum obtineat: imprimis porro hic motus adjuvat, quo *interna viscera*, per quæ *sanguis hæmorrhoidalis* progreditur, rite *pervia* sint, neque ullo modo *motus hæmorrhoidales* impediunt, aut ad *anomalias* quasdam seducant, sed quo efficaciter sanguis ad *loca hæmorrhoidalia compelli*, adigi & ex iisdem commodius & facilius exprimi queat: dehinc promovet hic motus *alvinas* evacuationes, ne unquam in intestinis tales crassæ fordes colligantur, neve tales *contrariæ strictoriæ* commotiones in iisdem vigeant, quæ aliquo modo *debitos* motus *hæmorrhoidales* offendere & alterare possunt: nec non commotio hæc corporis intercipit *particulares* sanguinis *internas* restrictiones & *congestiones* in *alia* loca, quæ *eventui* hæmorrhoidali obesse possunt, ut propterea etiam *privativa* talis sit opitulatio, quo posthac positivum & *proximum* motuum hæmorrhoidalium directorium melius succedat atque decurrat; imo motus hic præservat *primas regiones*, ne ab *impuritatibus* adversis & copiosis oppleantur, neve exinde motus hæmorrhoidales *defectuant*, sed quo proximius ad *effectum* suum contendant: ex quibus singulis facile elucefcit quod & quantas utilitates mobile vite genus hæmorrhoidariis promittat, quod ipsum & *naturæ activitati* & *corporis receptivitati* subvenit, ut propterea eo facilius & melius Hæmorrhoides *erumpant* atque decurrant: id quod tanto certius & *contrario* agnosci potest, nimirum quando hæmorrhoidarii interdum *sedentariæ* vitæ indulgere debent.

IX.

Hoc sedulum *motuum voluntariorum* exercitium imprimis proficit *illis hæmorrhoidariis*, quibus unquam Hæmorrhoides vel *justè*, vel *defectivè* vel *impediè* successerunt: neque tamen propterea *sedentarium* & otiosum genus illis commendamus, qui olim Hæmorrhoides in *excessu* experti sunt, in quibus modo

tan-

tanto moderamine opus est, ne vel in motu vel quiete excedant, neque ingruente fluxu hæmorrhoidali operosioribus commotionibus corpus suum exercent: inter alias vero motuum talium species, maximè proficiunt illæ, quæ abdomen moderatè succutiunt, unde equitatio temperata & vectura succussatoria non parum levaminis hæmorrhoidariis conciliat: exinde enim maximè illæ partes afficiuntur, in quibus motus hæmorrhoidales exerceantur, unde evenit, ut sanguis in regione abdominis & hypochondriis magis attenuetur, per has vias facilius & liberius progrediatur, in loca hæmorrhoidalia copiosius ingrediatur adeoque per ejusmodi motum ad futuram faciliorem eruptionem invitetur & præparetur; neque tantum hæc commotio succussatoria ita proximis hæmorrhoidalibus successibus velificatur, sed & simul illis remotioribus salutaribus effectibus subvenit, quorum in præcedente motus commendatione mentio facta fuit, imprimis vero admodum inervit ad repurgationem primariam viarum & constantem exonerationem alvi: & dum Hæmorrhoidum congruam & efficacem eruptionem multum impediunt, insufficientes affluxus ad loca hæmorrhoidalia & intercurrentes stagnationes in confiniis aut vagæ partium oppletiones & sanguinis restagnationes in alias vias aliæque loca, ita hæc commotio non parum hæc incommoda intercipit, sed motum & fluxum hæmorrhoidalem eò ipso faciliat: ut ut vero tantos usus ejusmodi commotiones exferant, tamen etiam quoad ipsum exercitium talium motuum moderamen præscribendum est, ne quisquam in excessu prædictam salubritatem inquireat: omnes enim simultaneæ & impetuosæ commotiones legitimo Hæmorrhoidum statui præjudicant, quocumquè etiam tempore commissæ fuerint, quoniam ad immoderatos impulsus sanguinis, in extraordinariis etiam operationibus suscipiendos seducunt, proinde sanguinem eò usquè attenuant, ut loco debite congestionis magis suspectis spumefactionis commotionibus obtemperet; ita etiam loco legitimi &

moderati *successus*, in immodicos & *impetuosos fluxus* Hæmorrhoides disponunt: quare *regimine* opus est, quo sub *moderato*, sufficienti & constanti tali motus exercitio commendati usus non modo obtineantur, sed & eo ipso conferventur, donec congruis temporibus Hæmorrhoides erumpere minantur, quo ipso etiam tempore eadem motus exercitationes Hæmorrhoidum *eruptionem* levant & sufficientem earundem *progressionem* promovent: quando vero iam *actu* fluunt, præstat in tantum à prædictis motuum speciebus *abstinere*, quo iam *preparati* motus hæmorrhoidales sibi *relinquantur* & *placide* decurrant; quod si vero *impeditius* fluant, tunc licet & decet hoc etiam tempore per *motus* tales paululum subvenire.

X.

Quantum justum motuum voluntariorum exercitium in negotio hæmorrhoidali conducit, tantum *nimia quies* obest: loquimur de multo *sedentario* vitæ genere, quod in quolibet hæmorrhoidariorum statu non parum *officit*: proximius hæc multa *defidia opprimit* illas partes, quæ libero *motuum* hæmorrhoidali *successui* subjectæ sunt, ut loco debite *congestionis* & *translationis* sanguinis in loca hæmorrhoidalia, incongrui *infarctus*, incommodæ *oppletiones*, confusæ *distensiones* & ominosæ *linguinis stagnationes* oriantur: eoque ipso *directiones* hæmorrhoidales *multiplicibus difficultatibus* exponantur: & quanquam sub hac abdominis frequenti *oppressione*, sanguis *versus loca* hæmorrhoidalia magis transferatur & natura exinde *invitetur*, quo per hæc loca *superfluum* & *molestum* sanguinem *exprimat*, tamen *copiosa* illa sanguinis *appressio* non raro in culpa est, quo minus vegetè & facile ultima *perrupcio* conciliari possit, unde regiones tales cum sanguine magis *obruuntur* & *opplentur*, ut variæ *molestæ angustationes* & *dolorificæ spasmodicæ* constrictiones superveniant, cum quibus posterioribus *periculosæ stases* & *occlusiones* interceptantur, & sanguis in suo *progressu* & *reduu* conservatur.

tur, & licet sub multis deniq; *difficultatibus* sanguis per hæmorrhoidalia loca perrumpat, nihilominus in *proximo* Hæmorrhoidum successu multiplicia incommoda intercidunt, ut exinde facile colligi possit, quid *mobile* vitæ genus proficiat, & sedentariū contra officiat hæmorrhoidariis: nimia *quies* & sedentaria vita ad *spissitudinem* sanguinis porro efficacissimè contribuit: si vero sanguis *crassus* est, difficillimè prodeunt Hæmorrhoides, proptereaque motus hæmorrhoidales, non nisi in *vagis spasmodicis* conatibus consistunt, quid quod facile à proxima lua meta avertuntur; ut dum *natura* ad effundendas Hæmorrhoides *vires* & motus applicat, sanguis vero *spissior* quaquaversum in suspectas *incarcerationes* inclinat, nunc *spasmodicæ* illæ commotiones eò diriguntur, ne *spissus* & *intractabilis* sanguis in actualem *stasim* & futuram *putredinem* delabatur: nimia *quies* ad *exsiccationem* & *obstructionem* *alvine excretionis* contribuit: si itaque intestina *sicciora* sunt, tunc ob defectum necessariæ & sufficientis *flexilitatis* sanguis sufficienter ad *locæ hæmorrhoidalia* compelli haud potest, unde negotium hæmorrhoidale *vagis moliminibus* subjicitur: quando vero *alvum strictura* quædam & obstipatio detinet, aut *durior scybalorum occlusio*, tunc æque minus commode sanguis intimus *in texturam* intestinorum *imprimi* eoque difficilius *vasculorum hæmorrhoidalium apertura* sperari potest: omissis pluribus considerationibus circa *damna* & præjudicia, quæ hæmorrhoidariis ex *nimia quiete* accidunt, instituendis: neque etiam in illis qui unquam *excessivè* Hæmorrhoides experti sunt, *multa quies* commendanda & concedenda est: licet enim in hisce *moderatum* motus localis, exercitium, antea in inculcatum fuerit, tamen non proficit mox impetuosos motus hæmorrhoidales per *contraria* obruere, sed *tranquilliore* & *securiore* methodum seligere.

XI.

Progredimur jam ad commendationem *Regiminis* quoad

Somnum & Vigiliis pro hæmorrhoidariis: & licet ita directe & proxime somni & vigiliarum usus ad Hæmorrhoides promovendas vel temperandas haud quadret, tamen quoad genericum usum utriusque necessarium moderamen præscribi potest, ne ex abusu aliquod damnum œconomiae vitali sive motibus & effectibus ordinariis & ad vitam pertinentibus & per hos deinde extraordinariis operationibus, vitæ & sanitati subservientibus, accidat: quare hæmorrhoidariis salutare est, si neque in somno neque in vigiliis quoad excessum & quoad defectum peccant, & si in utroque statu non quoad ordinem errant, nimius somnus reddit in genere activitatem naturæ præcipue in adultis torpidam & negligentem, qui torpor sæpe in vitales functiones redundat, ut sub eodem posita Hæmorrhoides confuse & torpide decurrant: nimia vigilia defatigant animum & naturam, i.e. mentem & energiam vitalem, unde in hominibus diu & multum vigilantibus ordinariæ excretiones admodum confuse aut impeditæ aut insufficienter succedunt: unde in somno & vigiliis moderamen servandum est, quo partim animi partim reliquarum virium alacritas conservetur: quare tota vivendi ratione & tam directo, quam indirecto, tam remoto quam proximo moderamine providendum est, ne negotio hæmorrhoidali aliqua injuria inferatur: quod vero ordinem in somno & vigiliis servandum attinet, tunc certè non modo hæmorrhoidariis, sed omnibus hominibus sanitati suæ prospicientibus conducit, ne utrumque statum confuse traçant & naturalem ordinem à Deo institutum invertant atque perturbent, nam nocte multum vigilare & diu multum dormire totum hominẽ confundit, per nocte enim secretoriæ functiones usitatus & efficacius succedunt, diurnis temporibus excretiones plus administrantur: si itaq; secretiones noctu turbantur, quomodo poterunt efficaciter diu excretiones administrari: & si ordinariæ excretiones perturbantur, quomodo facile & vegete poterunt extraordinariæ evacuationes exerceri: & licet non semper damna, quæ è tali confuso

fuso fomni & vigiliarum usu & exercitio prodeunt, *momentaneæ* sint, tamen eadem vel in *future* tempora, sese extendere, vel cum *aliis* præjudiciosis vivendi rationibus & pravis regiminibus & consuetudinibus *concurrere* solent, ut eò certius & firminus motus & dispositio *hæmorrhoidalis* perturbetur, ipsa enim *vita* & *sanitas* in exquisito *ordine* comprehensa est, quicquid itaque *vitæ* & *sanitati* subvenire debet, illud *ordinatum* & proportionatum fit; & dum *Hæmorrhoides* *sanitati* hominis conciliandæ quadrant, ita nihil easdem turbare & *offendere* debet; turbantur vero ex *inordinato* usu fomni & nimio exercitio vigiliarum: & dum sub *somno* simul placida *corporis* requies, & sub *vigiliis* motum *voluntariorum* exercitium conjungitur, propterea in hisce rebus non naturalibus regimen debitum servandum est, ne præter reliquum ordinem vitalem etiam *Hæmorrhoides* offendantur & in multiplicem *ataxiam* conjiciantur: denique in hac consideratione *literatis* hæmorrhoidariis *immodicæ* *lucubrationes nocturnas* interdiciamus, sed potius moderamen suademus.

XII.

Sequuntur nunc commendationes *Regiminis* quoad *Excreta* & *Retenta*: ipsa *vita* & *sanitas* excretionibus & retentionibus obtinetur, excernuntur vero vel *noxia* vel *superflua*, retinentur *utilia* & *neccessaria*: negotium hæmorrhoidale vero consistit in *motu tonico* ad *excretionem sanguinis superflui* per loca hæmorrhoidaliam directo, unde sub certis, respectibus & conditionibus *Hæmorrhoides* ad *sanitatem* tuendam & *firmandam* pertinent, quare omni cura hæmorrhoidarii invigilare & studere debent, quo *justum* *Hæmorrhoidum* suarum decursum & *fluxum* conservent & *singula* illa adminicula adhibeant, quæ *motibus* hæmorrhoidalibus *sublevandis* quadrant & *interviunt*; sermo vero hoc loco est de *ordinariis* evacuationibus ita tractandis & regendis, ne hæmorrhoidale negotium ex *incongruo* & *inordinato* earundem successu *turbas* obtineat: habent vero inter se *excreciones* omnino *aliquam*

D

quam

quam *communione*, unde sub *alvi* occlusionone, turbatur *diuresis* & vice versa, sub *transpiratione* repressa augetur aliquando *alvina* excretio, interdum etiam turbatur: nequè tantum *ordinarie* excretiones inter se *consentiant*, sed etiam *extraordinarie* evacuationes *harmoniam* subeunt cum *ordinariis*: ita v. g. *sanguinis* profusio sub peculiari consideratione non est *ordinaria*: si vero *alvus* occluditur & *constringitur*, tunc *Hæmorrhoides* difficilius & *impeditius* erumpunt & procedunt, aut *hæmorrhoides* & *vomitibus* *cruentis* impetuosius insistent & urgent: quod si itaque corpus humanum constanter à communibus *impuritatibus* repurgatur, tunc natura humana majori *continentia* & efficaciter etiam absolere poterit: cum contra quando vel *humores* vel *via* cum *heterogeneis* substantiis multum inquinantur & oppletur, tunc salutaris successus *extraordinariorum* evacuationum variis *impedimentis* subjectus est: quale specimen æquale occurrit, quando in feminis *cacoehymia* laborantibus ægrius *Menses* fluunt: quapropter in genere hæmorrhoidiarum salutare est, si *ordinarie* excretiones *in isto* successu potiuntur: quemadmodum mox à posteriori innotescit, quomodo excretionum *ordinariorum* *perturbationes*, *extraordinarias* Hæmorrhoidum ventilationes alterent, adeoque inter *facilem* & *difficilem* successum talium evacuationum ad vitam & sanitatem spectantium, quasi constans intercedat *connexio*: hoc ipsum tanto magis hæmorrhoidarios permovere debet, quo *ordinarias* suas excretiones in *in isto* ordine conservent, iisdemque bono regimine consulant: quemadmodum vero excretiones in genere aliquam *convenientiam* habent, ita adhuc *specialiorem* inter se invicem servant *consensum*, sicuti constat quomodo *diaphoresis* & *diuresis*, *expectoratio* & *alvina* evacuatio proxime cohæreant: qua circumstantia nititur etiam illa harmonia *ordinariorum* & *extraordinariorum* excretionum, siquidem *Hæmorrhoides* cum *alvina* excretionem, *mictus cruentus*
cum

cum *diuresi*, conveniunt, quo propterea animus advertendus erit in *dirigendis* illis excretionibus, quæ *proximus* cum *Hæmorrhoidibus* consentiunt, inde eveniet ut eò certius, citius & *securius motus* hæmorrhoidales in *iustum ordinem* convertantur & in eodem etiam conserventur.

XIII.

Quo vero paulo pressius hanc circumstantiam prosequamur, videlicet quomodo *ordinariarum excretionum* successus iustus negotio *hæmorrhoidali* conferat, tunc in genere per singulas *evacuaciones* removentur materiæ, quæ *crassi & consistentiæ* sanguinis *inimicæ* sunt; quando itaque sanguis non *nimum fluxilis*, nequè *nimum spissus* est, tunc eò melius *particulares tales congestiones, translationes & egestiones* administrantur, & vice versa: si sanguis nimis tenuibus & ad *orgasticas* commotiones subeundas aptis substantiis inquinatus est, tunc accidit, ut peculiaribus illis ad *Hæmorrhoidum* profusionem necessariis *directionibus* congestoriis, sese molestæ & suspectæ *turgæfactoriæ* commotiones faciant, quæ reliquum salutarem effectum & eventum offendunt & destituunt: si vero *sigillatim* *transpiratio peripherica* constanter succedit, tunc *motus* humorum eò magis *equali distributioni* advescit, eò magis reliquus motuum progressus præservatur ab *incommodis restrictionibus* ad *interiores* regiones & advescit, ipsa natura suas operationes ad *dextrè & ordinatè* tractare: cum vicissim id certo eveniet, ut si in *ordinariis* suis functionibus variis *perturbationibus* eadem subijcitur, tunc iisdem etiam ita *advescat*, ut *extraordinariis* operationibus, vel *ipsamet turbas & exorbitantias* quasdam immisceat, vel similes *offensiones aliunde* adventantes, ad easdem *facilius* admittat: *diuresis* perturbata varia *incommoda* in *inferiores* abdominis regiones transfert, quæ non alia sunt, quam *spasmodica*, sive cum contumaci impetu *strictorio* deorsum excretiones impatienter urgentia, sive per reliqua visce-

ra exorbitantia & percurrentia: quæ *anomalie* successive motibus hæmorrhoidalibus sese annectunt eisdemquæ valde offendunt: quare *catoterice* Hæmorrhagiæ per *diuretica* remedia impelli possunt, siquidem ex *vitiis urinariis* motus hi congestorii & sanguinem translatorii in *reliquas* partes progrediuntur & ita vicissim motus tales hæmorrhagici *compatiuntur*, quando in excretionem urinæ aliquæ perturbationes abierunt: proximè vero cum hæmorrhoidali negotio consentit *albina* evacuatio, qua legitime succedente, motus *deorsum* vergentes magis placidi, temperati & efficaces evadunt, neque in *alienas* regiones excurrunt, deinde vero hæ partes *inferiores* in *justa flexilitate* & *permeabilitate* magis conservantur, quo in *extraordinariis* functionibus easdem humores *intimius* ingredi queant, quid quod vicinæ ab adversis impuritatibus liberantur, ne ab iisdem *extraordinariæ* excretiones offendantur & impediuntur, nec non *sanguinis transitus* per abdominis viscera in legitimo *successu* perennat, neque à *contrariis* stricturis alteratur & perturbatur, unde ordinariè sanguis liberè & vegetè in & per loca hæmorrhoidalia progreditur, ut dum natura *ordinariè* in hisce locis negotia sua *expeditè* & efficaciter perpetrat, eò facilius tunc alias salutares evacuationes per easdem administret.

XIV.

In hisce palmaris excretionibus hæmorrhoidarii bonum & exactum regimen servare debent, si prædictæ utilitates in motus, ordines & successus hæmorrhoidales redundare debent: quod *superficalem* transpirationem concernit ex variis hæcenus prolatis circumstantiis colligere licet, quomodo eadem tractanda & in justo ordine conservanda sit: contribuit huc constans & moderate *calidum* regimen & temperantia circa *aëris* usum, imo sollicita evitatio ne auctior transpiratio & qualiscunque *sudatio* repente *repellatur*:

ur: quare etiam dehortamur hæmorrhoidarios, ne internis refrigeriis sese subiciant, quæ præter alia varia hæmorrhoidali ftatu præjudiciosa incommoda, simul suspectæ *transpirationis* insensibilis & sudationis repressio ansam præbent; *diuresis* consueta non perturbanda est, cum potulentis *insuetis*, neque *spisiss* & valde saturatis, neque etiam cum *alimemis* & *medicamentis* in *urinarias* vias inique operantibus & easdem *molestè* afficientibus & *stimulantibus*, quin potius convenit hanc excretionem adjuvare & moderate promovere potu tenuiori, & decoctis calidis sive herbæ Thee sive Veronicæ, jusculis *lenientibus*, pingvibus; ex fonte dietetico admittimus, pro hoc scopo *moderatum* usum acetositaris citri sub reliquis alimentis: ita etiam tam diureticam, quam alvinam excretionem facilitant *balnea* quæ interdum cum moderamine, ne valde æstuosa sint, sed *temperata*, adhiberi debent: imprimis vero confert *alvinam* excretionem ita tractare, quo constanter atque facile procedat: quæ regula tanto magis attendenda & observanda est, quo usitatus & facilius hæmorrhoidarii in intestinis *alterationibus* quibusdam exponuntur, adeoque in *officiis* per intestina tractandis & administrandis *sensibiles* sunt: unde ex diætâ & reliquo regimine studiosè evitare debent, quæ alvum *inspissant*, *deobstruunt* sive adstringunt, eidem molestam *flatulentiam* inducunt, aut eandem ad immoderatos *fluxus* excitant & commovent: siquidem in omnibus hæmorrhoidariis consultius est, si alvus *lubrica*, quam sicca & segnis aut penitus clausa est: conservatur vero alvus in legitimo successu per *mobile* vitæ genus, per sufficientem *potum* & alia *humectantia*, maximè temperanter *calida*, quæ præter reliquam internam partium *dilutionem* una *relaxant* & moderate *emollunt*: huc quadrant *pingvia* temperiora, juscula talia, nec non *mucilaginosâ*, *medullosâ*, comestivo butyri, *lacticiâ* temperatiora, *oleosa* dietetica, olivæ, pulpamenta non *spissa*, sed tenuiora cum lacte parata, *gelatinosa*, *pruna* decocta, aliique fructus

ctus non acidi, cum sacharo & cinamomo commixti decocti, quæ singula alvum leniunt & in iusto successu conferunt: imprimis vero moderatus calor tam externè ad legitimam *alvi promotionem* contribuit, utpote quæ singula adminicula adhuc à pharmaceuticis auxiliis aliena sunt; de quibus adhuc semel differemus, quando de cibi & potus usu aliqua inferius monebimus.

XV.

De excretis quidem hæcenus sufficienter dictum est, excipiunt modo *Retenia*, circa quæ regimen congruum adhuc ordinandum erit: quando vero de retentis agitur, tunc per illa ut plurimum intelliguntur substantiæ *necessariæ & utiles*, quæ *reparare* debent illa, quæ *deficiunt*, & ad *augmentationem* corporis & *sanguinis* sufficientem collectionem pertinent: non vero placet hoc loco illa tractare, quæ tantum ad *genericos* respectus quadrant & in illis acquiescunt, sed quæ ad *hæmorrhoidalem* statum facile applicari possunt: unde hæmorrhoidariis proficit, ne *nimum* retineant talia subiecta, quæ in se quidem non perniciofa sunt, sed quæ *copia* sua *superflua* & molesta evadunt; cum vero illa quæ semel corpori sunt insinuata, non tam cito neque pro omnium commoditate facile *egeri* queant, ita maximum refert, ne eadem copiose *ingerantur*; quæ præcipua regula est, quoad retenta tenenda: id quod imprimis valet de *sanguine*, unde hæmorrhoidarii caveant ne plus quam *superflue* sanguinem augeant, & coacervent & ob id multa alia *connexa* incommoda sibi contrahant: in alia retenta vero hæmorrhoidarii non tantum jus habent *arbitrarium* sive *voluntarium*, ut exinde eadem ita regere & dirigere queant, quo hæmorrhoidibus profint: coincidunt vero interdum excreta & retenta, quæ tali regimine indigent, ne hæmorrhoidibus præjudicent: unde v. g. illud regimen circa *alvinam* depositionem tenendum est, ne hæmorrhoidarii ob *negligentiam* aut *facordiam* aut impatientiam eandem diutius *retineant*, sed sedulo & sine longa mora *naturæ ductam* & stimulum

mulum sequantur & provide attendant, ne contra consuetudinem alvum reprimant & retineant, aliàs eadem successively perturbatur, exsiccat, indurefcit, segnis redditur, quin denique actu adstringitur, ut post hac motibus & successibus hæmorrhoidalibus eminentes difficultates & irregularitates superveniant; neque etiam expedit, quo hæmorrhoidarii retineant aut reprimant ultimos illos conatus ad Hæmorrhoides exprimendas, sed & in hoc stimulo obtemperent, & constanter alvum liberent, ne contrarii aut molestiores magisque dolorifici motus superveniant: abstineant etiam ne retineant superflua ingesta, quando eadem natura sua sponte denuo exturbare & salutariter conamine imminuere gestit: & quando evenerit, ut sub quibusdam commotionibus hæmorrhoidalibus, mucilaginosâ ex alvo, aut spermatica è genalibus exprimantur, caveant ne hæc reprimant, aut talia consilia quærant, quæ ad inconsultam retentionem & maxime etiam ad suspectam repressionem concurrunt: & quod de regimine circa retentionem alvinæ excretionis dictum fuit, idem etiam valet de excretionem urine, siquidem æquè inconsultum & motibus, ordinibus & successibus hæmorrhoidalibus inimicum est, si diutius hæc viæ reprimuntur & non satis tempestivè exonerantur aut liberantur: tanto minus vero metuant hæmorrhoidarii si sanguinem profundunt per ipsas Hæmorrhoides, neque mox de retentione cogitent, aut sibi debilitatem aliquam præmatuè imaginentur, adeoque ex immorigero animo medicum urgeant, quo retineat, & reprimat hunc fluxum, sed Hæmorrhoidibus liberum fluxum permittant, neque sibi adeo adulentur, & ex effeminata speculatione autument, quasi optimi maximè quæ necessarii sanguinis jacturam patiantur, quin potius hanc curam de retentione Hæmorrhoidum, quam diu medicus peritus easdem legitimas esse dijudicat, deponant & dejiciant, neque medicos sua anxietate & impatientia angant & debilitent: habent omnino hæmorrhoidarii immoderati, quo huic parænesi attentè & sollicitè obtemperent.

Convertimus nos ad commendandum Regimen pro hæmorrhoidariis quoad *Animum* servandū, ne ex hoc quædam actiones, in præjudicium Hæmorrhoidum proveniant, in qua disquisitione, placet, quædam monere, quæ *mores* hominum *consuetos* attinent, & aliqua etiam, quæ *affectus* sive *patheticas commotiones* concernunt: singula vero erunt ita constituta, ut non modo in hæmorrhoidiorum commodum cedant, sed & singulorum illorum qui extra hæmorrhoidalem statum illibata *sanitate* frui gestiunt: non quidem nostrum propositum est, hoc loco latius memorare *connexionem* inter actiones *animi* & operationes *vitales*, quin potius hanc circumstantiam præsupponimus, quod videlicet inter *animum* & *vitam* atque *corpus* exquisita sit *affinitas*, illud tantum ad nostram tractationem applicare volumus, quod & quomodo imprimis *animus* *extraordinariis* functionibus attentus & intentus sit, aut quod *animi* constitutiones primo *ordinarios* successus *vitales* attingant & tunc per hosce in *extraordinarios* progrediantur: hæmorrhoidarii itaque quo magis immorigeri, *impatientes*, *inconstantes*, *impetuosii*, præcipientes, refractarii, *inordinati*, *morosi*, *negligentes*, *austeri* & *audacter contumaces* sunt, & quidem in *ordinariis* suis moribus, eò magis in *morbis*, *moliminibus* & *fluxibus hæmorrhoidalibus* similes qualitates coincidunt, ut videlicet loco *liberi* & *facilis fluxus*, *immorigere* contumaces, *effera* & *vagabunde* commotiones spasmodicæ circa partes & regiones hæmorrhoidales decurrant, & alii quibus talium hæmorrhoidiorum *mores* magis constant, ejusmodi *irregularitates* non admirentur, sed vulgariter illo dicitur earum rationem significare laborent: Wie kan es anders seyn, er ist ein eigensinniger, unbändiger, unordentlicher, unbeständiger, widersinniger Mensch, der sich nicht ratheu lässt, und nach seinem verderben Kopff lebt: &c. sicut vero primario ejusmodi mali mores in *ordinarium* œconomia

vita-



vitalis *successum* operantur, ita deinde in *extraordinarias* functiones perinde vim suam atque tenorem exerunt & successive Hæmorrhoides *perturbant*, quia ipsi illi pravi mores non uno *simul-taneo* fervore decurrunt, sed *successive* alterationem suam inferunt: ob id maximè *hæmorrhoidariis* commendandum est, quo in singulis suis officiis, *temperantie, continentie, tranquillitatis, ordinis, patientie, moderationis, constantie, ingenuitatis & simplicitatis* advescant, atquè à diffusionè & confusione animi sui sollicitè abstineant, animum suum non multum, diu & sæpe distrahant, nec nimium in *profundas, anxias, implicatas & multiplicatas* meditationes immergant, neve vires animi sui *nimiam & ultra* modulum intendant, extendant & exerceant, sed in congrua alacritate & *tranquillitate* conservent, quid quod magis ad *placidam delectationem* excitent, quam cum *anxiis, meticulosis & morosis* contemplationibus eundem opprimant: quæ quidem regula aurea est, sed qui & quot huic obtemperabunt! illud vero sciant ejusmodi hæmorrhoidarii, quod omnino *animus tranquillus* statum *hæmorrhoidalem* in tranquillitate fervet, hac qui frui gestiunt, debent omnino animum suum *compefcere*, si alicui utili regimini auscultare volunt: ad minimum in hac regula non continentur *impossibilia*, modo sibi moderari suscipiant homines illi, quibus interest hæc nosse.

XVII.

Si itaque pravi & *corrupti mores* legitimo Hæmorrhoidum successui & decursui frequentia *impedimenta* inducunt, quidni ipsi *affectus animi* live *patheticæ* commotiones, non modo similes, sed & adhuc *importuniores* effectus habeant? dum enim *animi pathemata* vel *impetuosè* maximequè immorigerè succedunt, ita eorundem effectus in *alterandam œconomiam* vitalem non modo *preceps* aut subitaneus, sed & *vehemens* existit: neque ullum amplius dubium occurrit, an videlicet *pathetici* tales impetus ordini vitali præjudicent, illud modo in-

E

ter

ter alios *effectus* alterationis notare placet, quomodo affectus animi præcipuè in *excretionibus* turbandas & à justo suo ordine eji-
cendas, sive impetuosè & *excessive* urgendas, sive vehementer
retinendas & *supprimendas*, operentur: in genere quidem animi
pathematum effectus communiter est *immoderatus* & quidem
vel *impellens* & *expellens*, vel *repellens* & restringens vel uterquè
alternatim contingens: quid vero hi *pathetici* motus valeant in
turbandis & offendendis *hemorrhagiis* & moliminibus hæmor-
rhagicis quotidiana comprobatur observatio, ut propterea ex
hac consideratione commodam occasionem inveniamus, quo
hemorrhoidariis bonum regimen circa animi pathemata præ-
scribere possimus: *repentini* vero & maximè immoderati ef-
fectus sunt pathemata animi, quando *illo tempore* contingunt,
quo *molimina* hæmorrhoidalia, vel *fluxus* hæmorrhoidales pro-
cedunt: interim etiam *extra* hoc tempus commissa tantum con-
tribuunt, quo *successivè* negotio hæmorrhoidali talis *anomalia*
sefe commisceat: sicuti *fœminæ iracundæ* ut plurimum *impe-*
tuosis Mensium profecutionibus subjectæ sunt, vel valde *terrifi-*
cæ & in metu atquè *anxio* desiderio constitutæ, *impeditos* & diffi-
ciles aut *defectivos* mensium progressus experiuntur; ita ad *tur-*
bandos & offendendos *motus* & fluxus hæmorrhoidales multum
contribuit frequens, tanto magis immodica & *suppressa* iracun-
dia, quemadmodum hæmorrhoidarii communiter obrationem
sui *temperamenti* in præcipiti & impetuosa iracundia immode-
rati sunt: quæ sicut *excessivè* motus hæmorrhoidales impellit,
auget & urget, ita eorundem placidum & continentem *ordi-*
nem valde offendit, ut vehementes *spasmodici* impetus & ex-
cessus iisdem superveniant: non minus etiam *terror* frequens,
timor & *metus* anxius, *solicitudo*, *cura* & *arumna* multa ad *vaga*
molimina hæmorrhoidalia, quæ raro ad felicem exitum pertin-
gunt, contribuunt: ob id providi esse debent hæmorrhoidarii,
quo in animi affectibus sibi *solicite* moderentur & à tali *incon-*
ti-

inertia & immoderatiore indole abſtineant, quo tempeſtive futuros pravos effectus præoccupent: haud enim ſecurum eſt, ex *accidentalibus* quibusdam eventibus *regulas* conſcribere & v. g. dum unus vel alter hæmorrhoidarius ſub moliminibus talibus per *iracundiam* ſtrenuam ad *legitimum* Hæmorrhoidum fluxum pertigit, non ſtatim conſultum eſt, iracundiam commendare, ut adminiculum ad perrumpendas Hæmorrhoides! quis enim medicorum ex vero & certo prædicere poterit, ſi iracundia in tali ſubjecto Hæmorrhoides *non aperit*, quod non *ſiniſtros* & quidem valde *periculofos* alios cauſetur effectus: unde medico *rationali* competit *ambiguitates* evitare & *ſecuriorem* methodum ſeligere! & ſectari.

XVIII.

Quantum perverſæ *conſuetudines* ordini vitali præjudicent uberrimus eventus conſtat, ſiquidem juxta *genericam* earundem dijudicationem & obſervationem frequentius & uſitatius *prave* magis, quam bonæ actiones, nec non *exceſſive* & *inordinate* operationes iisdem ſubjiciuntur, ut *conſuetudines* propterea plus in *deterius*, quam in *melius* ruant: id quod nunc valet de conſuetudinibus circa *malos mores*, circa *animi pathemata*, circa *functiones animales & naturales irregulares*, quæ ſingulæ hæmorrhoidarii contrariæ eſſe deprehenduntur: non neceſſe eſt, ut actum agamus & de moribus & patheticis commotionibus repetamus, quæ antea dicta ſunt: illud vero de *conſuetudinibus* circa reliquas operationes dicimus, quod cum nitantur *promptiori motum exercitio*, ita in diverſis cauſis hæc promptitudo in *exceſſum*, *exorbitantiam*, *immoderantiam* & *inconstantiam* degenerare & excurrere ſoleat, ut *communiter* conſuetudines in *animalibus & naturalibus* functionibus aliquid *erronei* complectantur: licet interdum quædam occurrant, quæ ſalubritati corporis velificantur: quando itaque in una functione, quæ cum negotio vitali connectit, talis *prava* conſuetudo a deſt, tunc propter

pter *communione* motuum in genere, eadem sese, in *alias* operationes extendit: uti v. g. si quædam subjecta per consuetudinem *spasticis* affectibus laborant, tunc si eadem *alii* affectus corripunt, evenit, ut *consuetæ*, *spasticæ* commotiones & afflictiones iisdem sese *conjungant*: si itaque perinde *Hæmorrhoidarii* quidam *irregularitati* cuidam advescunt, quid mirum esse potest, quando illa *generalis* irregularitas, sese *aliis* & *extraordinariis* planè actionibus *associat*: qualia phænomena quotidiana sunt, unde etiam contingit, ut si hæmorrhoidarii tales alienas & perversas consuetudines assumunt, iidem in hæmorrhoidario suo statu varias *anomalias* experiantur: extendunt sese tales consuetudines in *singulas* illas *circumstantias*, quæ in præcedentibus annotatæ prostant, videlicet in usum *æris*, majoris vel minoris *caloris* & *frigoris*, *excretionum* & *retentionum*, *motus* & *quietis*, maxime vero in usum *cibi* & *potus*, de quo adhuc seorsim mox nobis agendum erit: unde quo magis majori *sensibilitati* circa has res non naturales hæmorrhoidarii advescunt, eo citius & *facilius* ab iisdem afficiuntur & *alterantur*, ut v. g. homines *nimum* calori advescentes, postea à *levi* frigore ita graviter offendi soleant, quo mox suspectæ internæ & externæ *stricturæ*, aut *colica* pathemata, quæ *hæmorrhoidalibus* successibus admodum *præjudicant*, superveniant: id quod etiam in *dieta* notari debet, ne videlicet ex nimis *scrupuloso* circa illam regimine, natura *seducatur* & ita *sensibilis* atque immorigera reddatur, quo facile imposterum ex *levissimis* causis, non modo in *generica* œconomia animali & *vitali*, sed & imprimis in negotio *hæmorrhoidali* alteretur & perturbetur.

XIX.

Ordo nos invitat, quo *Dietam* hæmorrhoidariorum describamus, sive *Regimen* circa *Cibum* & *Potum* significemus, ne in horum usu errores quidam succedant, qui motibus & fluxibus hæmorrhoidalibus inimici existunt, maxime vero hæmorrhoidariis

is

is commendandus est *ordo* in *dieta*, quia 1) plurimum *hæmorrhoidarii* in tali *vite genere* constituti sunt, ut ad *errores dieteticos* committendos seducantur, siquidem non rarum est audire & observare *hæmorrhoidarios* quoad *vitium & potum* esse *luxuriosos*: ut nihil de *heluonibus hæmorrhoidariis* dicamus, quorum numerus pro dolor haud difficile frequens indicari posset: 2) quia *hæmorrhoidarii* se *indulgenter* habent & ob amissum sanguinem ex cibo & potu *novas vires* colligere gestiunt, eò certius vero, quando aliàs quoad *dieta* *luxuriei* addicti sunt, deinde quando *confusioni* illi auscultant, quasi in *cibo & potu* inclusa hæreant *vires*, exinde vero etiam facile sese in *errores dieteticos* conjiunt: 3) quia ut plurimum in *consuetudine* habent *hæmorrhoidarii* ut *multa & varia* comedant adeoque sæpe *necessarii & salubris* selectus obliviscantur & sub *plena* *dieta* facile *aliis aberrationibus* sese subjiciant: 4) quia quædam *substantia*, quibus *hæmorrhoidarii* sub *dieta* utuntur, vel ad *loca hæmorrhoidalia* vel horum *confinia* pertingunt, adeoque *iisdem perturbationes* facile inducere possunt: 5) quia in hisce locis *hæmorrhoidarii* extra ordinem *sensibiles* sunt adeoque facile *sub & ex* *Dieta* offendi & alterari possunt: 6) quia inter motum *digestionis & translationis* *materiarum ex cibo & potu* provenientium cum motu *hæmorrhoidali* magna intercedit *communio*, sicut *exquisitum & quotidianum* tale exemplar occurrit in *fœminis* quibus *menstruum* negotium citissime & efficacissime per *dietetica* *vitia* turbari potest & solet, quo ipso effectu elucescit illa *harmonia* inter motum qui *intestinarum* & qui *uteri* locis applicatur: quale quid tanto citius & certius contingere potest, dum non modo *Hæmorrhoides* *sensibile* negotium constituunt, sed & quoad *loca* cum illis *partibus* per continuam *cohesionem* connectunt, in quas *partes diete vite* suam efficaciam exserunt: 7) quia *hæmorrhoidarii* vel ex *moliminibus* vel *actualibus fluxibus* *hæmorrhoidibus* in tantam *immorigerum* indolem, ob molestiam, cui subjiciuntur.

ciuntur, incidunt, ut facile quoad consuetum cibum atque potum *aberrare* soleant & medicus propterea occasionem nanciscatur, quo interdum cum *rigore* meliorem vivendi rationem atque *dietam* ordinet & inculcet: 8) quia inter alias causas hæmorrhoidarii sibi hanc *hæmorrhoidalem* constitutionem acquisiverunt *ex diæta* & quidem plena & ad saturitatem superfluum communiter directæ: unde cum adsveti sint hæmorrhoidarii *liberaliter* edendi, interest omnino, quo ipsis memoriale ex culina sive *ordo in diæta* commendetur: 9) quia hæmorrhoidalium symptomatum & variationum notabilis *multitudo* occurrit, ut Hæmorrhoides vel supprimi vel imminui, vel impelli vel confundi, vel ad aliam evacuationem adigi & in varias alias irregularitates conjici possint, cum comitatu multiplicium pathematum, unde *diversa* diæte constitutio & *mutatio* sufficientem occasionem invenit, quo hæmorrhoidali negotio aliquam sive majorem sive minorem *alterationem* inducat,

XX.

¶ Ob id hæmorrhoidarii non æque anxiam, valde *scrupulosam* & conscientiosam diætam seiligant, sed talem, qualis in *mediocritate* consistit & quoad cibum quidem *modum* servent in *quantitate* & *qualitate*: quoad quantitatem abstinæant ab illa *immodica* plenitudine & immorigera *voracitate*, alias non modo utilitas hæmorrhoidalis fluxus admodum impeditur & abbreviatur, sed & ordo & successus Hæmorrhoidum non parum violatur: maxime vero illi sibi circa *quantitatem* moderentur, qui non multum *laborant* aut corpus exercent, alias non modo ad *suspecte* superfluum plenitudinem sanguinem augmentant; sed & ad inimicam *spissitudinem* perducunt: ob id vero reliquis, qui mobile vitæ genus servant non proficuum aut commodum est, quo ad summam saturitatem constanter corpus suum *oppleant*: neque solum moderatio circa quantitatem ciborum necessaria est, ne nimium sanguinem hæmorrhoidarii coacervent, sed

sed

sed & per consuetam *operosam* & diffusam *concoctionem* & *recre-*
*mentor*um *collectionem* ipsa natura tantum perturbatur, quo mi-
 nus commode in futurum *extraordinarium* quoddam *excretori-*
um negotium administret, sed in hoc varias *digressiones* & *aberra-*
iones committat, quemadmodum copiosa *impuritates* in in-
 testinis & reliquis primis viis justam *progressionem* & *congestionem*
 sanguinis graviter impedire solent: qui vero huic regulæ sub-
 scribere renuunt, illi eò magis necesse habent, quo frequentibus
 & convenientibus *motibus* corpus suum *exerceant*; *plena* e-
 nim *diæta* & *conjectum* *otium* hæmorrhoidariis minimè con-
 ducit: neque *repentina* & *simultanea* ventriculi oppletiones,
 (licet cæterokin minus constanter fiant,) hæmorrhoidariis,
 proficiunt, quia eadem una occasione tantas turbas primis
 regionibus inferuat, ut plures & diuturnæ exinde *pravæ* conse-
 cutiones emergant, tanto magis in talibus subiectis, quæ in ejus-
 modi *locis* & *confiniis* *sensibilia* sunt: hinc alii homines, qui non
 sunt hæmorrhoidarii, quando semel notabilem *excessum* in simul-
 tanea & *importuna* ciborum *ingestione* & ventriculi *infarctu* com-
 miserunt, inveniunt quo aliquamdiu per *abstinentiam* suis con-
 sequentibus ventriculi & intestinorum incommodis & afflictio-
 nibus consulant & subveniant: neque hæmorrhoidariis in tan-
 tum connivendum & indulgendum est, quando talem saturita-
 tem cum *cibis* *mollioribus* seligunt, quæ nihilominus ad diversas
irregularitates disponit: & quando hæmorrhoidarii largius *ed-*
unt, omnino etiam attendere debent, quo *alvus* largius i. e. fre-
 quenter & simul constanter succedat: *plena* enim *diæta* & *sicca* al-
 vus maximo opere *hæmorrhoidariis* nocet, & fluentes hæmorrhoides
 reprimat aut impedit, molientes vero eò magis confundit
 & retinet: denique hæmorrhoidariis dissuadenda est *plena* & lar-
 ga *diæta* *conjuncta* cum *potu* admodum *nutriente* & valde *satura-*
to, quin potius commendandus est *renuis* & *dilutus* potus; aliàs
 ultra modulum necessarium *augetur* sanguis, qui in tanta

rate

tate in tali actu excretorio sibi ipsi *oneri & impedimento* est, quid quod *vires & vias* aggravat atque præcludit: quæ consideratio- nes *quantitatem* ciborum attineant.

XXI.

Præterea etiam hæmorrhoidarii curam adhibeant, quo in diæta justam *qualitatem* ciborum observent, ne vel ex *insuetis* vel *incongruis* sibi frequentes *primarum viarum* perturbationes concilient, ex quibus *motus hæmorrhoidales* valde offenduntur: abstineant itaque, aut non nisi moderatè adhibeant cibos *duros, spissos, crassos, viscidos, frigidos*, cujuscunque speciei, imprimis carnes fumo induratas, pisces robustiores & crassiores & quæ substantiæ ad aquatilia referuntur & *spissa muciditate* gaudent, ut conchæ, ostrea &c. quales cibi alvum *incrassant* & in loca hæmorrhoidalia successivè incommoda talia inferunt: profunt vero magis *molliores* cibi & quibus suppetunt carnes *molliores ferarum*, quæ *alvinam* excretionem sæpissimè promovent: absint *leguminoza* vulgaria & fructus communes *boræi*, unde hæmorrhoidariis incommodæ *stulentia* & alvi *inpassationes* accidunt, profunt contra *fuscula gelatinosa diluentia*, humectantia, oleosa: circa *acidorum & dulcium* usum adhibeant exactam *temperiem* & explorent *individualem suam sensibilitatem*, in quantum talia perferre queant, ne *colicos* cruciatus provocent: *aromaticis* condimentis utantur *moderatius*, quoniam alias frequens & *nimius* aromaticorum usus variis immoderatis & præjudiciosis commotionibus & *impulsibus* ansam præbet: quæcumque in diæta *alvinam* excretionem magis *leniunt*, admonent & promovent, illa aliis præferenda sunt: multorum *frigidorum* usus hæmorrhoidariis non conducit, quia præter alvi *retentionem* varias molestias & *impuritates* primis regionibus inferunt: *fructus* moderate *dulces* cum tenui *mucilagine* conjuncti cocti & temperanter *sacharati* non exiguam hæmorrhoidariis utilitatem afferunt: *lacticiniis* utantur non valde pinguibus, neque nimium fre-

frequenter: *amara* sub diætâ hæmorrhoidariis *profunt*, ut sunt herbae, *cochlearia*, *fumaria*, *nasturtium aquaticum*, *pimpinella hortensis*, *beccabunga*: neque obest in aptis hæmorrhoidariis, qui videlicet non excessivas hæmorrhoides experiuntur, moderatus *ceparum* & *alli* usus, modo temperies adhibeatur: ab *acescentibus* & valde *fermentantibus* constanter abstineant; recentibus etiam fructibus cum singulari moderamine urantur: *spissum*, *recentem*, adhuc calidum, insufficienter coctum *panem* non adhibeant: *fruxa* & cum *butyro* deliquato valde imprægnata alimenta & edulia, placentas, & quæ hujus similis conditionis præparata sunt, circumspicere & parce usurpent, imprimis, vero ab excessivè *pinguibus* caveant; adstringentia, acida & incrassantia removeant, sed quæ intestina & primas vias moderatè *abstergunt* in temperatum usum trahant, ut sunt consuetæ diætetica, *rhapbanacea*, *petroselina*, *synapi*, *bacca lauri*, &c. multitudo *saporum* sub diætâ *luxuriosa* non convenit hæmorrhoidariis, sed *turbas* parit in primis viis: neque etiam prodest frequenter & constanter *valde nurientia* adhibere; in quibus singulis prudens selectus institutus est, ita quidem ne nimis scrupulosi sint hæmorrhoidarii aut nimia *mollitie* naturam suam corrumpant atque seducant: nocet denique *confusa* ingestio ciborum, quemadmodum etiam *ordo* in assumendis cibis quoad *temporis* rationem, uti omnibus hominibus, ita etiam *hæmorrhoidariis* proficit.

XXII.

Sicut in cibo ita etiam in *potu* moderamen adhibere debent hæmorrhoidarii, quibus propterea *sufficiens* potus commendandus, quo *sanguis* in convenienti *fluiditate* conservetur, *vie flexiles* & *lubricæ* maneat, *se- & excretiones* eò ipso facilitentur, imprimis vero *alvus* in iusto successu conservetur; seligendus vero est potus temperatus, *tenuis*, dilutus, quippe qui prædictas utilitates conciliat, cum vicissim *spissior* & *saturator* potus *se- & excretorias* functiones impediât & magis sanguinem *in-*

crasset, quam fluidificet: concedi subinde possunt hæmorrhoidariis *decocta* consueta Herbarum Thee & fabarum Coffeè *dilutione* nequè valde saturata leviter aromatifata, ita tamen ne nimis frequenter & copiose eorundem usui indulgeant & advescant: *vini* usus sit moderatus, maximè vero abstineant hæmorrhoidarii à Vinis *sulphuratis*, acerbis, valde acidis, & nimis *recentibus*, contra vero plus ipsis proficiunt vina *adultiora*: circa *generosa* & valde *spirituosa* vina magnam adhibeant temperantiam, iisdemque magis *medicè* quam *dieticè* utantur, siquidem talia vina, ut sunt gallica, hungarica, hispanica, italica, alsatica, helvetica &c. paulo impetuosius *impellunt* & hæmorrhoidales *motus* urgent atque *excitant*, unde maximum interest, quo hæmorrhoidarii iisdem admodum *temperanter* utantur; imprimis vero hoc nostrum monitum observent illi, quibus occasio suppetit hungaricis vinis non modo fruendi, sed forte etiam *viliori* pretio utendi, quæ commoditas multos ad *excessum* seducit: *moderatus* usus talium vinorum promovet Hæmorrhoidum *eruptionem* & *fluxum*: ubi vero eadem sufficienter fluunt, & in legitimo ordine constitutæ sunt, ibi easdem nimium *impellunt* & *precipitant* adeoque varias perturbationes negotio hæmorrhoidali commiscunt: non præstat quotidie aut sæpe hisce vinis uti, etenim in hæmorrhoidariis magis vices *medicine*, quam *consueti* potus supplet & tenent: omnis excessus & ita etiam, quoad vini potum, nocet: abstineant hæmorrhoidarii ab *inebriationibus*, quæ totum hominem turbant, & *animum*, *vires* & *corpus* confundunt: imprimis vero hæmorrhoidariis nocent potus simpliciter *spirituosi ardentes*, & destillatæ aquæ, præcipuè quando iisdem juxta *communem* morem utuntur: testatur enim uberrima experientia, quomodo tales hæmorrhoidarii hydropici, cachectici & œdematosi facti fuerint, aut in varia irregularia pathemata primarum viarum delapsi: habent enim hi potus non modo efficaciam humores valde *commovent*

invenientem, sed & vias *constringentem*, sub quibus contrariis & ordini hæmorrhoidalis negotii adversis effectibus, illi periculosi & Hæmorrhoidibus præjudiciosi affectus oriuntur: abstineant itaque à *vulgari* taliuna spirituum usu infueto hæmorrhoidarii, neque facile sibi imaginentur, pro gula sua & appetitu fallendo, quod talium potuum adfueti sint: non aliter vero tales destillatos potus in hæmorrhoidariis admittimus, nisi *medico* & minime diætetico usu: evitandi denique sunt potus, quotquot etiam molestas *sterculentias* causantur, quales sunt non bene defæcati, acidi, acerbi, acefcentes, valde fermentescentes, nimis dulces & quales alioquin cuilibet individuo *insueti* sunt: & quemadmodum quedam subjecta ad tuendam sanitatem *acidulas* temperatas usurpare gestiunt, tunc harum usum cum *vino bono* remixtarum non reprobamus, modo non motus hæmorrhoidales valde & diu *anomalici* fuerint: denique quosvis potus *luxuriosus* aut *aromatizatos* hæmorrhoidariis minimè indiscretim & pro usu *diætetico* admittimus, quia varias irregularitates post se relinquunt.

XXIII.

Et ita hæctenus potiores circumstantias in regimine & diæteta hæmorrhoidariorum annotavimus: placet vero adhuc singulares quasdam animadversiones in præsentî tractatione adjicere & quidem hoc ordine pauca proferre de *Regimine* hæmorrhoidariorum circa *Medicos* & *Chirurgos*: status enim hæmorrhoidalis ita comparatus est, ut non omnes medicos admittat, nequè omnibus *hypothesibus* obtemperet: caveant itaque hæmorrhoidarii ab illis, qui autumant, quasi Hæmorrhoides *fortuito* erumpant & magis *perniciosum* quam fructuosum accidens in Hæmorrhoidibus supponunt: caveant ab illis, qui prompta consilia & auxilia promittunt, quo fluxus & motus hæmorrhoidales *compescantur* & incongruè *reprimantur*: caveant ab illis, qui in *opiorum* ordinationibus faciles, præcipites & liberales sunt, nec

non ab illis qui vomitoria & purgantia & indiscreta stomachica offerunt, ut & ab illis, qui omni ausu & impetu Hæmorrhoides exturbare & impellere contendunt: porro ab illis, qui negotium hæmorrhoidale ludere & negligenter tractant & quibuscumque adminiculis in illud irruunt: subinde ab illis, qui quoad ordinationes remediorum inconstantes, fugaces & præcípites sunt, & hodie hoc, cras illud præscribunt, & mox ab uno ad alterum fugiunt: caveant ab illis qui confestim hæmorrhoidales fluxus panico terrore excipiunt & de eodem etiam nequè excedat nequè deficiat periculossima pathemata prænunciant: caveant ab illis, qui in explicandis hæmorrhoidalibus pathematibus tam faciles & diffusi sunt in accusanda acrimonia sanguinis, in culpando scorbuto & declamanda obstructione viscerum: fugiant illos qui connexiones motuum hæmorrhoidalium non attendunt nequè molimina & anomalias hæmorrhoidales agnoscunt, sed hodie hanc, cras aliam causam allegant & in decidendo tali schemate & nexu affectuum itubant: caveant ab illis, qui autumant quasi Hæmorrhoides rarissimum accidens sint, hi enim forte hoc negotium non satis perspectum habent & proinde præfentes motus hæmorrhoidales pro alio affectu tractant, adeoque ad imaginariam causam curam suam dirigunt & ita affectum perturbant: evitent illos, qui tantum symptomata aggrediuntur & doloribus compescendis atque leniendis operam dant, non vero radicem affectus advertunt & attingunt: caveant ab illis in talium affectuum cura, qui tam facile impetuosas methodos & forriora, maximè vero calefacientia & volatilia medicamenta ordinant: non minus etiam ab illis abstineant, qui in negotio hæmorrhoidali, tam promptè promiscuè & rigorosè acidum illud inimicum hypochondriacum genus nervosum vellicans damnant & accusant.

Quemadmodum hoc regimen fuit hæmorrhoidariorum circa Medicos, ita etiam regimen æquè prudens & sollicitum adhibere debent circa *Chirugos*: plurima enim chirurgorum turba in subministrandis consiliis & exhibendis remediis pro *internis* & ab intra provenientibus & sustentatis affectibus nimis audax & impudens est: fugiant hosce hæmorrhoidarii, illi enim negotium hæmorrhoidale rarissimè intelligunt & generalioribus tantum opinionibus inhaerent: non placet eorundem temeritatem carpere, quam internis curis adhibent, loquimur tantum de *externis* eorundem consiliis, quæ in talibus casibus interdum obtrudere solent: fugiant hæmorrhoidarii ejusmodi *iatroleptas* sive unguentarios, qui cum unguentis tam *precociter* abdomen, lumbos, quin ipsa loca hæmorrhoidalia aggrediuntur & tanto magis quando valde *pinguia* remedia & *emplastica* tenacia ordinant, insuper etiam *decocta* sua *lignosa*, quibuscum sanguinem *edulcorare* & *acrimoniam* corrigere & expellere volunt, aut simul & semel juxta *communem* chirurgorum sapientiam, promptè commendant *purgationem*, *sudationem* & *Venæ-Sectionem*, citra ullam habitam rationem ad hæmorrhoidale negotium injungunt: fugiant illos, qui fluentes, tumentes & turgentés hæmorrhoides, mox cum linimentis & pulveribus *adstringentibus* aggrediuntur, aut subito ad *maturantia* confugiunt, aut *emplastica* offerunt, aut *septica* ordinant & quot quot alii citra prudentem pensitationem ad similia auxilia confugiunt: dimittant illos, qui tam promptè *mercurialia* remedia ordinant, aut plane *salivationes* in tali passu præscribunt: fugiant hosce, qui *cataplastmata adstringentia* promiscuè adhibent, aut qui *prematuro* fecare & temerè urere audent: neque illis annuant, qui tam operosè & strenuè sanguinis *edulcorationem* urgent & pro hoc scopo *purgantia* & *diaphoretica* & *decocta* obtrudunt: caveant ab illis, qui confusas & *anōtericas*, imprimis promiscuas, Venæ Sectiones

injungunt, ut & ab illis, qui Hæmorrhoides cum *rufefacientibus*, stimulantibus & vulgaribus acribus atque inique afficientibus remediis prolificere contendunt, sed loco salutaris effectus periculofas inflammationes, imo gangrænodos eventus excitant & accelerant: fugiant hofce qui *exficantia*, terrea, acriora & simpliciora exotica *balsamica* adhibent, aut etiam *refrigerantia*, in-crassantia & viscido glutine hæmorrhoidales protuberantias obruentia: fugiant etiam *muliercularum* & *opilionum* similibusque hominum, seorsim etiam *agyrtarum* consilia & experimenta, communia, nam hoc negotium *hæmorrhoidale* ejusmodi audaculis quoad *essentialem* suam indolem non facillè cognitum esse potest, unde tantum *empiriè* in motus atque fluxus hæmorrhoidales grassantur & communiter deteriorem, non raro planè periculofum statum inde proluciant, aut totum ordinem hæmorrhoidalem pessimè turbant atque confundunt.

XXV.

Ultimo denique loco pauca adhuc quoad unum & alterum hæmorrhoidariorum regimen circa diversas vitæ humanæ *vicissitudines* notabimus: profunt itaque hæmorrhoidariis *peregrinationes* interdum institutæ, cum moderamine tamen, circa singulas illas circumstantias servando, quæ sub peregrinationibus occurrunt: habent illæ non exiguos neque paucos fructus, inserviunt enim ad iustam *commotionem* corporis & ad *excitationem animi*, ad proficuum mutationem *airis* & extraordinariam *excretionum* ordinariorum promotionem: non minus hæmorrhoidariis conducunt *balnea* moderata, non nimis frequenter suscipienda, quæ ad *equalem* humorum *distributionem*, sanguinis *fluidificationem*, transpirationis & alvi promotionem sub reliquis congruis regiminibus conveniunt: unde etiam temperatarum *thermarum* usum, in diversis hæmorrhoidariis non absolute dissvademus: quoad *venereas* ita dictas operationes perinde

inde *temperantiam* adhibeant, quia per illas motus hæmorrhoidales invitantur & *fluxus* impelluntur: si itaque motus hæmorrhoidales *immoderati* & irregulares sunt, tunc facile per frequentem commotionem animi & corporis ita excitantur, ut magis *excedant* atque exorbitent: *Labor est medicina hæmorrhoidariorum: angor* verò animi & multa sollicitudo valde confundit negotium hæmorrhoidale: & quicumque hæmorrhoidarii justo successu motuum suorum hæmorrhoidalium gaudere volunt, caveant ne *conviviis* multum visitandis indulgeant, ubi ansa ipsi præbetur, ut ad diversos *excessus* in regimine & diæta consentiant & ita suo statui injuriam inferant, quin potius *sobriè*, temperanter, & continenter vitam transigant: caveant etiam ne *medicamentorum servi* fiant, i.e. ne continuis medicamentorum ingestionibus operam dent, alias perpetui erunt *valetudinarii* & nisi constanter pillulis utantur, alvus non erit aperta, nisi *carminativa* usurpent, anxie insistent & molestabunt flatu & *cardialgiæ*, & ita in pluribus aliis circumstantiis eveniet: qui *exulceratis* affecti sunt hæmorrhoidibus, sedulo *mutent* indusia & vestimenta, quia iisdem sese facile contagiosum *inquinamentum* fermentativo-ulcerosum insinuat, ex quo præsentis ulcerationes hæmorrhoidales perpetuum incitamentum atque fomitem concipiunt: in *exercitiis* corporis quibusvis juxta hæcenus præscriptum regimen debitum *moderamen* adhibeant, & ab omni *excessu* constanter & prudenter abstineant: & quotquot hæmorrhoidariorum in talibus officiis publicis versantur, in quibus frequenter ad *iracundas* commotiones invitantur, ibi *multa patientia* opus est, & sanitatem suam aliis incommodis præferre debent: Fumus Tabaci liberalior hæmorrhoidariis facilius nocet, quam prodest. Maxime vero abstineant à vulgari usu pillularum communium largius aloeticarum ut francofurtenium *milliumque* vetustis & senioribus hæmorrhoidariis maxime
 vero

vero adhuc vegetis & luxuriosis, matrimonia ad affectus nephriticos & mictus cruenti molimina facile contribuunt: multum denique refert quod denuo & iterato monemus quod hæmorrhoidarii circa remediorum diversorum tam domesticorum quam pharmaceuticorum, maxime vero variorum experimentorum usum cauti sint & magis in defectu quam excessu peccent. Quibus singulis præsentem nostram tractationem de *Hæmorrhoidariorum Regimine & Dieta* obſignamus: dirigat nunc divina clementia quo hæmorrhoidarii obtemperent nostris monitis, ita habebunt de quo in integritate vitæ suæ certo gaudere possunt: Jam vero nostri officii est, quo Deo optimo maximo devotissimas gratias & laudes tribuamus, quod nobis in elaboranda tam digna tractatione vires & intellectum concesserit, precamur etiam humillimè, ut non modo almus ille vitæ & sanitatis autor has nostras regulas ita secundet, quo multorum sanitati promovendæ interserviant, sed quo nostra futura conamina semper ad felicem eventum promoveat.



Nimmt Er werther Freund, die Doctor-Würde an,
Und wil vor seinen Fleiß sich auch belohnet sehen?
Ja, wer mit solchem Recht, als Er, es suchen kan,
Der mag mit frohen Muth hin zum Catheder gehen.
Die Hæmorrhoides hat er zum Grund erwählt
Und zeigt sein muntre Geiſt, wie er sie durch Studiret.
Da beyng gelehrten Streit ihm nie die Antwort fehlt
So wird zu dieser Prob ihm billig gratuliret.
Ich selber stimm hierin mit andern überein.
Ga'enus lasse ihm recht güldne A'dern finden
Und seine praxin so gebenedeyet seyn,
Daß Tod und Kranckheit gleich vor sein Recept verschwinden.

Durch diese wenige Zeilen wolte sich dem
Herrn Doct. zubeständigen Andern
den empfehlen dessen Ergebenster
Diener

Ph. E. Cerpel,

Königl. Preuss. Kriegs- und Steuer-Commissarius.

Post exantlatos multos variosque labores,
Praemia virtutis digna referre juvat.
Hanc igitur spartam quam sedulitate parasti,
Nunquam non faustam, adprecor & foveo;

Paucis hisce se sui que memoriam commendare
voluit

G. M. ITTER, Mœnofrancofordienſis.

Nouveau Docteur en Medicin
HARDER, que Ton genie hûreux
Se montre aujourd' hui merueilleux
Dans cette Science Divine!
De l'air dont Tu donnes la sape
Aux travaux de Tes Opposans
Ceux-ci, comme Tes Partisans,
Te prennent pour un Esculape.

)

Tu

Tu brilles lorsque Tu disputes
Et charmes tous Tes Auditeurs,
En faisant des admirateurs
De ceux même que Tu réfutes.
Lorsqu'en théorie on s'explique
Avec tant de solidité,
C'est bien une nécessité
Que l'on soit habile en pratique.
A juger de Tes Ordonnances
Par Tes raisonnemens profonds
Tu gueriras des moribonds
Abandonnés dans leurs souffrances.
Malgré les recherches obscures
Et d' Hypocrate & de Galien,
Tu seras tres bon praticien
Et réusiras dans Tes cures.

Pour vous exiter a faire durer la bonne intelligence que
nous avons toujours eu ensemble, Je vous presente
ces peu de vers me disant toujours

Votre obeissant Serviteur

HANS ADOLPH DOMMES,

LL. Stud.

MADRIGALE.

COgli felice al fine
Del tuo fudor la desiata messe.
Cingi l'alloro al crine,
Ch'oggi t'nostro Parnaso a te concessè;
E dalle grazie istesse
Coronata la fronte
Vanne nel Sacro monte,
Hor ch'imparasti a dar salute e vita.
Prendi con mano ardita
Di Minerva e d' Apollo i fregi, e ferti,
Che son poco a tuoi meriti,

Sc

Se a chi tutto è dovuto
Ogni gran dono è piccolo tributo.

*Per dar segni di gioia e per gratularsi Col Sigr.
Autore della laurea ottenuta di Dottor di
Medicina, volle cordialmente e con ogni af-
fetto offerir queste righe Il suo fedelissimo
e constantissimo servitor e fratello*

GIOV. HERM. FOCKELMANN,
di Fridberga,

PULCHRA IN PROLE SUPERSTES

S Alten schätzen hoch, wenn von geprißnen Saamen,
Von Eltern, die berühmt, ruhmwürdige Kinder kamen.
Noch igo prangt ein Sohn, der Tugend Früchte bringt,
Der als ein edler Zweig vom edlen Stamm entspringt;
Und eines Vatters Ruhm, den unsre Schweiz geehret,
Des theuern Haders Glanz wird heut im Sohn vermehret.
Den ziert, dem Vater gleich, ein Ehren volles Blut
Ihn schmückt wie jenes Haupt Hygienens Doct'or Hut.
Diß bringt Hochwerther Freund mir ungemaine Wonne
Ich wünsche Glück darzu, und borge von der Sonne,
Alhier die Überschrifte, die über solcher steht,
Wenn sie zum Besten schön, schön aus dem Morgen geht.
In Edlen Kindern kan ein theurer Vater leben.
Des deinen Name muß durch dich im Segen schweben.
Er triumphieret dort, sein Geist vor Gottes Thron
Hier blühen Glück und Ruhm in dem gelehrten Sohn

Meinem Hochwerthesten Freund und Herrn
Vettern aus schuldiger Ehrerbietige
keit bezeugter Freunde übergeben von
einem dienstbereutwilligsten Diener

Joh. Conrad Peyer im Hoff, Stud. Phil.

So wird/ Hochedler, dir der Lohn für deine Tugend/
Da deine Wissenschaft Fridriciana schmückt/
Und für den edlen Fleiß/ die Arbeit deiner Jugend
Den Hut und Lorber, Kranz auf deinen Scheitel drückt.

Wie

Wie sehen / Werhefftes / in dir des Vatters Saaben;
So deine Mufe sich zum Beyspiel hat geführt.
Und das wir allezeit in seinem Sohne haben /
Was / eben so wie er / Stadt Haus und Namen hier

Mit diesem wenigen, wolte bey der mit Ruhm
erhaltener Doctor-Würde gegen seinem
Hochgeschätztesten Freund seine Ergeben-
heit und Hochachtung bezeugen

J. MURBACH.

In tapfrer trägt die Deuth' ein Sieger Lob davon;
Ein grünes Lorber-Kelch kont' in Olympens Spielen
Der Allermüdigste zu seinen Preiß erzielen /
Hochwerccher Freund / was ist vor deine Müß der Lohn ?
Daß du von Jugend auf den Künsten nach gegangen
Derselben gödnes Fließ als Jason zuerlangen?
Hoggaa ist ikund auf deinen Lohn bedachte;
Die Lorbern / so sie dir vor langer Zeit gewunden
Hast du mit größern Ruhm in unsern Halle funden /
Das seine Söhne kröht und hebet aus der Nacht.
Ich wünsche / daß die Welt mit Nachdruck mag genießen
Die Feuchte / so bereinst aus delner Erde fließen
Wann dich / dem Vatter gleich / das Glück groß gemacht /

Hierdurch wolte Seinen Herrn Landmann und
Wercchgeschätzten Freunde zu den längst
verdienten Ehren schuldigst gratuliren

Joh. Conrad Ziegler.

Exitus acta probat sequitur ceu debita merces
Gloria virtutem pulchra coronat eam.
Gloria virtutem sequitur, quod TU rentamine docto
Ostendis nobis dulcis Amice mihi.
Hinc TIBI promeritum Phoebus decernit honorem
Et titulum confert hinc TIBI promeritum.
Laudo Tuos ausus, laudo conamina iusta,
Laudo virtutem, premia laudo Tua,
Gratulor hinc etiam; levet clementia coeli,
Merces virtutis premia multa ferat.

Hilse dignitatibus Experientissimi Nobilis-
simique Domini Doctorandi applaudit
F. W. ALBERTI, Med. Stud.

⊙ (o) ⊙


ULB Halle

3

007 678 266







13.
DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA
DE

1717
3
3
**HÆMORRHO-
IDARIORUM REGI-
MINE ET DIÆTA,**

QUAM
DEO PROPITIO

ET
RECTORE MAGNIFICENTISSIMO,
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO
DOMINO CAROLO,
BORUSSÆ PRINCIPE, MARCHIONE BRAN-
DENBURGICO, CETERA
GRATIOSÆ FACULTATIS MEDICÆ CONSENSU,
PRÆSIDE,

DN. D. MICHAELE ALBERTI,
POTENTISS. REGIS BORUSSÆ CONSILIARIO AULI-
CO, MEDICINÆ PROFESSORE PUBLICO ORDINARIO,
PHILOS. NATUR. EXTRAORD. REIPUBL. NORIBERG. PHYS.
ORDIN. ACADEM. NAT. CURIOS. COLLEGA,
FACULTATIS MEDICÆ h. r. DECANO SPECTATISSIMO,
PATRONO, PRÆCEPTORE AC PROMOTORE SUO
CVM HONORIS CULTU PROSEQUENDO,
PRO GRADU DOCTORIS,

Summisque in arte Medica Honoribus, Insignibus, ac Privilegiis
More Majorum Solenni Obtinendis,

Add. Decembr. MDCCXVII, horis ante & pomeridianis,
Publicæ Eruditorum ventilationi submittit

IOHANNES HARDER,

SCHAFFHUSA HELVETVS.

HALÆ MAGDEBURGICÆ,
Typis CHRISTIANI HENCKELII, Acad. Typ.